


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/


UC-NRLF
$B 284 501

YB 21917


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS



SPECIMEN

DE

PRETIO INSTITUTIONIBUS DIVINIS LACTANTII STATUENDO;

UNIV. OF CALIFORNIA

SPECIMEN ACADEMICUM INAUGURALE

DE

PRETIO INSTITUTIONIBUS DIVINIS LACTANTII STATUENDO,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

LUCAE SURINGAR,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

H. J. SPYKER,

AMSTELODAMENSIS.

Ad diem XXII. *Junii* MDCCCXXVI. *Horâ* XI—XII.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD HAAK ET SOCIOS,

MDCCCXXVI.

BR65
L34S6

PRAECEPTORIBUS,

FAUTORIBUS,

AMICIS

S.

500504

PRAEFATIO.

Valde vereor, ne multi hujus disputationis lectores magis comprobaturi sint argumentum a me tractatum, quam ejus tractandi rationem. Nam uti mihi et tempus defuit et facultas omnes consulendi libros, quorum lectio ad bene elaborandam hanc scriptionem mihi necessaria esse videbatur, ita probe sentio, quanta in me et ingenii sit mediocritas et doctrinae exiguitas. Argumentum mihi commonstravit Clar. HENGELIUS. *Scriptorum haud pauca, quibus uterer, ejusdem Viri, nec non* VOORSTII *et* LENNEPII *humanitati debeo. Tu, Lector! in erroribus, qui a me commissi sint, benigne, quaeso, conniveas.*

Quidquid hac in disputatione probandum est, Tibi inprimis acceptum refero, Vir. Celeb. VAN HENGEL! *qui, quamquam gravissimis muneris Tui negotiis occupatus, nunquam non mihi prudentissimis Tuis adfuisti consiliis. Quibus factum est, non tantum, ut huic scriptioni ea constitueretur forma,*

qua

quâ et potissima complecti possem, et brevitate tamen uti, sed etiam, ut non ubique accurata diligentia in eâ desideraretur. Praeterea vero, quam egregie, et praeclarâ Tuâ de variis Theologiae partibus institutione, et summâ, quam mihi semper praestitisti, liberalitate, nec non prudentissimâ studiorum meorum moderatione, de me meritus sis, dicere prorsus nequeo. Me Tibi esse devinctissimum, sentio. Te, ut mihi studiisque meis favere, et consilio Tuo adesse pergas, etiam atque etiam rogo. Deum O. M., ut Te diu integrum incolumemque servet, ex animo precor.

Quotiescunque autem tempus recordor, quo primum mihi studiorum viam ingredi licuit, et memoriam inde repeto, multos mihi video exstitisse egregios Praeceptores, humanissimos Fautores, suavissimos Commilitones, atque Amicos. Sed acerrimo tristitiae sensu animus meus afficitur, in memoriam rediens Viri Immortalis, J. H. VAN SWINDEN, cujus in scholis me biennium degisse, pro magno semper habui, atque habere pergam Providentiae Divinae beneficio. Numquam enim obliviscar hujus Viri et doctrinam uberrimam, quâ quis doctior ab eo abiret, et facilitatem atque festivam elegantiam, quibus mihi tantum animum adderet, ut neminem lubentius adire solerem, et, si de studiis meis ipsum consulerem, cum amico mihi loqui viderer. Utinam huic Viro Praeclaro, aliisque Fautoribus, morte mihi, eheu! ereptis, gratum animum nunc significare contingeret!

In Athenaeo Amstelodamensi Tu, Vir Celeberrime VAN LENNEP! primus mihi fuisti humaniorum litterarum Doctor, et quidem talis, ut Tuo ipse exemplo viam verae venustatis atque elegantiae mihi commonstrares, meisque studiis summopere fave-

vores. Si quid autem in litteris et Orientalibus et Belgicis profecerim, hoc Vobis debeo Viri Clarr. WILLMET *et* VAN CAPELLE! *Et vestrâ quoque utilissimâ disciplinâ, Viri Clarr.* VOUTE *et* VAN DER BOON MESCH! *summâ cum voluptate usus sum. Vos omnes, Praeceptores Aestumatissimi! ita sentiatis, disciplinae vestrae infixam pectori memoriam mihi semper fore suavissimam, neque umquam me turpi daturum esse oblivioni favorem insignem, quo erga me uti volueritis, sed semper me reverentiâ et grato animo Vos omnes esse prosecuturum. Neque a me impetrare possum, quin gratias agam, tum ceteris Praeceptoribus meis, qui aut litterarum rudimentis, aut Religionis Christianae elementis me imbuere non gravati sunt, tum Fautoribus et Patronis, qui munificentiâ suâ me foverunt atque erexerunt. Et Vos, Viri Clarissimi! qui Academiae Lugduno-Batavae luci et ornamento estis, Tu nominatim Vir Celeberrime* SURINGAR, *quem Promotorem nactus sum, meas accipite gratias pro humanitate, quâ mihi succurrere voluistis, quotiescunque studiorum caussâ Vos adirem.*

Tristissimum Vale *vobis dicendum est, suavissimi Commilitones! Quod eo tristius mihi accidit, quo majori, plurimis Vestrum Academiam adeuntibus, dolore me affici memini, et quo vehementius vereor, ut posthac umquam conjunctos vivere nobis contingat. Sed cedendum est necessitati. Et animum reficit cogitatio, amicitiam veri nominis, quod experientia me docuit, haud raro absentiâ locorum multo magis corroborari, quam labefactari. Vos igitur valete, Amici! et amare me pergite! Equidem, quamdiu vitam mihi concesserit Providentia Divina, sincero Vos amore complecti non desinam.*

Sed

Sed praefationi finem imponere non possum, priusquam scripsero, quod penitus pectori meo infixum est, Praeceptores, Fautores, Amicos, omnia, quae in me collata sint, divinitus mihi accidisse. Tu, Deus O. M! spem mihi facis, fore ut brevi praeclarum illud Religionis Christianae docendae munus capessam. Verba mihi desunt, quibus, quanta Tua beneficia sint, pro eorum magnitudine declarem. Utinam mihi Providentia Tua, per omne deinceps vitae curriculum adsit, ut fidelissime munere illo fungar, Tibique nunquam ingratus esse reperiar!

SPE-

UNIV. OF CALIFORNIA

SPECIMEN

DE

PRETIO INSTITUTIONIBUS DIVINIS LACTANTII STATUENDO.

Inter celebratissimos scriptores Christiani nominis, qui antiquitatem illustrarunt, locum suum habet L. C. Lactantius Firmianus, qui floruit Seculo tertio ad finem vergente, et ineunte quarto. De vitâ ejus perpauca nobis innotuerunt. Usus est praeceptore Arnobio. Nicomediae artem oratoriam professus, postea libris scribendis operam dedit. Senex jam erat, cum cura ei imponebatur Crispum, Constantini filium, docendi. Forum nunquam attigit, et adeo pauper fuit, ut saepe necessariis etiam rebus indigeret (1). Sed ubi natus sit, quomodo juventutem egerit, quando Christi disciplinâ sit imbutus, quaenam reliqua vitae ejus fuerint fata, quo tempore diem obierit supremum, plane certum non est. Quo factum, ut his de rebus alii aliter senserint.

(1) Vid. Lact. *Instt.* L. I. III. 19. V. 2. sq. Euseb. *Chron.* ad ann. 318. Hieronym. *de Vir. ill.* c. 80. cff. praeter alios. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Histoire Eccles.* *T.* VI. P. I. p. 340, 463. sqq. Schroeckh. *Christl. Kirchheng.* *T.* V. p. 220. sqq.

rint. (1). De pretio autem libris ejus statuendo Viri Docti, quod magis mirandum, a se invicem vehementer dissentiunt. Multi videlicet dixerunt, Lactantium, Justino Mart., Clemente *Alex.*, Irenaeo, Tertulliano, quin et Arnobio, nec non aequalibus suis ingenio, eruditione et elegantiâ superiorem fuisse. Ingenium enim ei fuisse uberrimum, et summam doctrinae copiam (2). Tantum abfuisse, ut quis scriptorum Christianorum supra eum eloquentiâ excelleret, ut ne vel Cicero quidem eum oratione vinceret (3). Eum aliorum errores magnâ vi et facilitate refutasse; Religionem Christianam gravissimo argumentorum pondere tuitum esse (4), neque ullam rem attigisse, quam non probaret; nullam impugnasse, quam non everteret. Verbo dicam, oratorem eum fuisse facundissimum, philosophum sapientissimum, Theologum omnibus numeris absolutum et perfectum, Religionis Christianae fortissimum defensorem (5).

Alii

(1) Multi eum *Italum* fuisse e cognomine Firmiani conjecerunt: alii tamen majori probabilitate eum *Afrum* dixisse videntur. Quo auctore autem J. Trithemius *de Scriptoribus Eccles.* c. 56. eum dixerit Romae quoque artem oratoriam docuisse, equidem nescio.

(2) Vid. Euseb. l. c. 6, Scaligerum quem excitat a J. J. Rau, *de Philosophiâ Lactantii*, Jenae 1733. *p.* 31., H. Weytingh, *Hist. Liter.* 1822. p. 159. sq. cff. Rau *p.* 21, 23, 30. al. Brücker, *Hist. Philosophiae T.* III. p. 465. sq.

(3) Vid. Hieron., J. L. Vives, Broukhus. aliosque excitt. a Bünem. ad suam Lactantii Edit. et cf. praeter alios Rau p. 19, 21, 23., sq. al.

(4) Vid. Hieron. Sidon. *Apoll.*, apud Bünem l. c. Tillemont *l. c.* p. 348. Cave exc. a Brück. *p.* 466.

(5) Vid. Becanus, praefat. ad *Anthologiam* Lactantii Lugd. 1558. qui ita auctorem alloquitur: „o Coeli-

„ um

Alii vero Lactantium, quantum Arnobium antecellat latini sermonis elegantiâ, tantum ab eo superari et ingenio putant, et eruditione, et eloquentiâ veri nominis (1). Eum scilicet *loquentiae*, sic ajunt, majorem operam dedisse, quam eloquentiae. Praeter ingenium parum vel nihil in eo fuisse, quod laude esset dignum. Judicii levitatem se in scriptis ejus prodere. Eum non tantum praejudicatis serviisse opinionibus, sed et in gravissimis rebus ponderandis negligentem et laboris impatientem se praestitisse (2). Religionis Christianae doctrinâ minus fuisse instructum (3), ipsumque caussam suam saepenumero evertisse, puerorum magis et sophistarum, quam philosophorum more argumentantem. Neque eum sua placita comprobasse, neque aliorum opiniones refutasse (4). Calumniatorem eum fuisse, delirantem et ridendum hominem (5), qui famae suae consuluisset, si a scribendo de philosophiâ, deque religione Christianâ ma-

„um, virum plane *Coelestem* ac divinum! o Lactantium, „auctorem quovis *lacte* ac melle dulciorem! o Firmianum, „athletam in tuendâ veritate Christianâ *firmissimum*, fidelissi- „mum, constantissimumque!"

(1) Orellius ad Edit. Opp. Arnobii, Lips. 1816. p. V.

(2) Rau *l. c.* p. 15, 21, 23, 27, 29. Bruck. *l. c.*

(3) Bullus exc. a Ravio p. 76. Tillem. p. 356. Errores Lactantii acerbe notavit Antonius *Raudensis*, uti vidi in MS. Lact. in Bibl. Acad. Lugd. Bat. notâ 142 insignito. Sed in eum propterea acerrime invectus est Adam. *Genuensis* (Cf. Rau p. 60.) et Franc. Philelfus, apud Fabric. *Bibl. Lat. V.* III. *L.* IV. *c.* 3. p. 395. ed. Hamb. 1722. et *Bibl. Lat. med. et inf. aet. V.* IV. *L.* XI. p. 672 *sq.* ed. Hamb. 1735.

(4) Brück. *l. c.*

(5) Anton. *Raud.* Cf. Rau, p. 60.

manum cohibuisset (1). Jam vero hac judiciorum varietate observatâ, nemini supervacanea videbitur disquisitio de libris hujus scriptoris instituta. Nos igitur, reliquis ejus scriptis sibi relictis, dicemus *de pretio Institutionibus Divinis* Lactantii *statuendo*. Nimirum *primum* universam horum librorum rationem exponemus; *secundo* de eorum argumento disputabimus; quibus *tertio* nonnihil adjiciemus de auctoris dictione. Quae si tractata fuerint, apparebit, eorum maxime sequendas esse partes, qui de aliis Lactantium landandum, de aliis vituperandum esse censuerint (2).

(1) Rau p. 29. Bruck. p. 467.

(2) Aequitate ceteris praecellere videntur Tillem. p. 348. sqq. Schroeckh. p. 253. sq. Mediam quoque viam quodammodo ingressus est Rau, qui tamen, ut invidiae suspicionem a se amoveret, se studio non ferri gloriae Lactantio detrahendae, monuit p. 30. et saepe alibi.

PARS

PARS PRIMA.

DE INSTITUTIONUM DIVINARUM LACTANTII UNIVERSA RATIONE.

Institutionum Divinarum Lactantii *universam rationem* ut exponamus, dicemus *primum* de eo, quod sibi auctor iis conscribendis proposuit, *deinde* de serie, quam iis constituit, *denique* de fontibus, quibus ad eas scribendas usus est.

CAPUT I.

DE EO, QUOD SIBI PROPOSUIT LACTANTIUS CONSCRIBENDIS INSTITUTIONUM DIVINARUM LIBRIS.

Multis libris ut suum statuatur pretium, magis quaerendum est quid vere praestiterint eorum auctores, quam quid sibi voluerint. Attamen, ut de libri cujusdam indole recte judicemus, consilium auctoris non negligendum est. Quapropter non alienum videtur hanc disquisitionem incipere *ab eo, quod sibi proposuit* Lactantius *conscribendis Institutionum Divinarum libris, investigando*. Facile autem quisque intelligit, auctorem hoc maxime egisse, ut Religionem

Christianam defenderet et exteris hominibus commendaret. Quam cum rem esse constet, unam omnium gravissimam (1); magnopere laudandum est Lactantium professione oratoriâ, in quâ diu versatus esset, aliis relictâ, ad conscribendas *Institutiones Divinas* animum appulisse. Quod ubi eum narrantem audimus, vocem nobis audire videmur Ciceronis, qui, cum defensionum laboribus Senatoriisque muneribus aut omnino, aut magnâ ex parte esset liberatus, ad ea se retulit studia, quae ad rectam vivendi viam pertinerent (2). Novimus quidem, haud paucos Religionis Christianae doctores jam antea suam diligentiam hujus Religionis defensioni adhibuisse, sed ex eo tamen non sequi, Lactantium, ut in proverbio est, oleum et operam perdidisse, ostendere conabimur.

Ante omnia hoc intelligi volumus, non eam fuisse temporis, quod vivebat Lactantius, rationem, ut defensio et commendatio Religionis Christianae usquam supervacanea esset. Hujus negotii scilicet necessitas maxime orta est ex odio, quo in Christi sectatores ferebantur, tum Judaei, qui optimum generis humani Servatorem impietatis in Mosen commissae accusabant, tum homines exteri, qui, ne Deorum religio detrimenti quid caperet, videre studebant. Illi, ut Christi antiquissimi fuerunt adversarii, qui etiam post Vespasiani tempora, cum patriâ pulsi, perque omnes terras dispersi essent, Romanos aliasque gentes in ejus sec-

(1) Cf. *Inst. Div.* I. 1. p. 1, 2. edit. Bünem. Sententiam quae hic legitur, ex Ciceronis *de republicâ* exordio sumtam esse, suspicatus est Ill. Majus ad hunc librum p. LV. Ed. *Stutg. et Tubing.* sed nescio, an ea hujus exordii argumento non omnino conveniat.

(2) Vid. *Cic. Tusc. Quaest.* I. 1. *de nat. Deor.* I. 4. Hunc ipsum significare videtur Lact. *l. c.* p. 7.

sectatores excitarent (1), sic Lactantii quoque aetate infesto hanc in caussam fuerunt animo. Hic autem, quamquam illos singulari in libro refellere apud animum constituerat (2), suas tamen *Institt.* ita scripsit, ut nonnumquam eorum rationem jam haberet. A Romanis vero aliisque gentibus exteris sectatores quidem Christi, postquam Constantinus (3) imperium occupaverat, non amplius vexati et cruciati sunt, ut factum erat inde a Neronis aetate; sed re-

(1) Vid. Just. M. *dial. c. Tryph.* p. 234. sq. Edit. *Paris.* 1636. Tertull. *Apolog.* c. 16. coll. *ad Nat.* I. 14. Euseb. *Hist. Eccl.* IV. 15 *et* 18.

(2) Vid. *Lib.* VII. 1. p. 859. Liber autem Lactantii adversus *Judaeos* incognitus fuit Hieronymo (vid. *de viris illustr.* c. 80.) Forte consilium ejus scribendi, auctor non perfecit.

(5) Mentio de Constantino facta est *Lib.* I. 1. II. 1. IV. 1. V. 1. VII. 26. quae loca tamen multis codicibus desunt. Pro genuinis ea habent Tillemont *l. c.* p. 849. Gibbon *the history of the decline and fall of the Roman Empire* c. 20, *Vol.* III. p. 200. ed. Lips. Schroeckh. *l. c.* *T.* V. p. 259. pro spuriis Cave *Kerkelijke Oudheden* in append. p. 671. sq. pro dubiis Roessler *Bibl. der Kirchenv.* *T.* III. p. 356. In Bibliotheca Acad. Lugd. Batav. consului codices MSS. notis insignitos 26. membr. olim Perizonii; 38 chart.; 38. *a.* chart. olim Francii; 38. *b.* membr. olim P. Dantis Aligerii 38 *c.* membr. et 142. chart. et vidi, in iis omitti II. 1. IV. 1. VII. 26: reperiri vero in aliis eorum I. 1. V. 1; ab aliis abesse. Horum tamen Codicum nullus magnae esse videtur antiquitatis. Fuerunt, qui post Baluzium duplicem exstitisse putarent *Instt. Div.* editionem. Vid. Tillem. *l. c.* p. 468. sq. Sed hanc conjecturam nemo non videt, excogitatam esse ad difficultates evitandas. Utique loca I. 1. VII. 26. tantum quae longioris sunt seriei, dicendi rationem referunt auctori usitatam, qui, uti alios libros qui

recens adhuc malorum erat memoria, quibus homines superstitiosissimi hanc sectam affecerant (1). Multi supererant infensissimi ejus adversarii. Sacerdotes avitarum religionum in eam prae animi aegritudine omnem iram suam evomebant (2). Viris paulo prudentioribus non satis exploratum erat, Constantinum inceptum suum Religionis Christianae tuendae feliciter perfecturum esse. Ille ipse imperatorum primus erat, qui Christum profiterentur (3). Futuri temporis exitum nocte caliginosâ Deus premebat. Quid multa? magni intererat Christianorum, omnibus nervis atque viribus eo tendere, ut rem suam in tuto collocarent. Nondum diximus de philosophis, aliisque viris excultioribus, quorum *superbâ impietate* Lactantius, ut ipse ait, stimulatus est, ut omnibus ingenii sui viribus eos refutaret, utque omnes, qui ubique idem operis effice-

Donato, Demetriano, Pentadio, Asclepiadi in scripsit, ita *Instt.* suas Constantino dicavisse videtur.

(1) Mala, quae ipse partim vidit, partim audivit Lactantius, enarrat in libro de *mort. persec.* c. 7. sqq. Vid. et *Inst.* V. 9, 11, 12, 19, 20, 21. VI. 17. *Epitom.* c. 52. sqq. quae loca non obstant sententiae modo propositae de *Instt.* Constantino inscriptis, uti recte monet Tillem. *l. c.* p. 468. Ceterum non eodem modo Viri Docti tempus definiunt, quo hi libri a Lactantio scripti sint. Isaeus eos scriptos esse dicit anno 302. Gibbon *l. c.* inter annos 306 et 311. Betulejus anno 316. Saxius *Onomastic. Litterar. p.* 386 non ante annum 319. Tillemont *l. c. p.* 466. sq. eos refert ad annum 320 vel 321. Ad tempus illud definiendum facit utique commemoratio Arianorum *Lib.* IV. 30. si modo illa Lactantio debetur.

(2) Cff. *Inst.* IV. 27. *de morte persecut.* c. 10.

(3) Diserte hoc dicitur *L.* I. 1. p. 8.

cerent, aut effecissent, uno semel impetu profligaret (1).

At vero Lactantius non tantum Religionis Christianae defensionem ipse suscepit, sed eam quoque aliis commendare voluit. Magna scilicet hominum pars, majorum suorum superstitiones mordicus tenebat. Praejudicatis suis opinionibus impediebantur, quominus doctrinae Christi cognoscendae operam navarent (2). Neque ferre poterant, qui, quamvis ante Tiberii tempora nondum exstitissent, se tamen unos id, quod verum esset, tanquam in possessione habere, ceteros mortales eo prorsus carere jactarent. Videbant porro, non tantum virorum doctorum haud paucos, vel palam et publice se novae illi doctrinae opponere, vel tacite eam deridere, sed etiam ipsos Christianos acriter inter se disceptare, aliosque eorum se ab aliis separare. Mirandum igitur non est, multos adhuc fuisse, qui Christi disciplinam spernerent. Jam vero hi quoque ab errore in viam reducendi erant, et hos nominatim Lactantius, Religione Christianâ exponendâ ac defendendâ, ut ipsius utar verbis, „ sine ullo discrimine vel „ sexûs, vel aetatis ad coeleste pabulum convocare vo„ luit (3)." Quae vera hujus caussae propagandae ratio est. Utinam omni tempore animis infixum fuisset,

(1) Vid. L. V. 2, 3, 4. Ubi commemoratur et ignotus quidam philosophus, et Hierocles. cff. *de mort. persec.* c. 16. p. 1405. Buddei, *Isagoge Hist. Theol.* p. 881. ed. alt. Tzschirner *Geschichte der Apologet. T.* I. p. 225. sqq. Verba Lactantii autem notavit Rau *l. c.* p. 13. qui injuriam fecit auctori, consilium ei tribuens, *philosophis* omnem amputandi facultatem scribendi.

(2) Vid. L. V. 1. p. 567. sqq. Minuc. *Octav. c.* 27. p. 174. Lindneri. Uterque sequitur Tertull. *apol.* c. 1. p. 4. sqq. Haverc.

(3) Vid. L. I. 1. p. 4. sqq. p. 10.

set, quod auctor dicit de exterarum religionum fautoribus: „ Imitentur nos, ut rationem rei totius exponant: nos enim non illicimus, ut ipsi objectant, sed „ docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a „ nobis retinetur invitus: inutilis est enim Deo, qui „ devotione ac fide caret (1)."

Apparet igitur Lactantium inprimis id egisse, ut divinae Religionis caussam adversus homines exteros defenderet, eosque quantum fieri poterat (2), ad Christum perduceret. Sed ipsis quoque disciplinae suae sociis, quod haud scio, an multi Apologetae imprudentius neglexerint, librorum suorum conscriptione prodesse studuit, eos se confirmare velle dicens, quorum *non stabilis* esset ac *solidis radicibus fundata et fixa sententia* (3). Quantopere autem et ipse utilitatis et voluptatis sibi comparandae studio ad hunc laborem excitatus sit, ex his ejus intelligimus verbis: „ etiamsi nulli alii, nobis certe proderit: delectabit se „ conscientia, gaudebitque mens in veritatis se luce ver„ sari, quod est animae pabulum incredibili quadam „ jucunditate perfusum (4)."

La-

(1) L. V. 19. p. 670. sq. cf c. 13. p. 640. Quod dicit Barbeyrac, *Traité de la morale des pères de l'église.* Amst. 1728. p. 185. hujusmodi Lactantii aliorumque voces, aut ipsorum repugnare agendi rationi, aut temporum deberi necessitati, in hunc auctorem vix cadere potest.

(2) Vid. L. IV. 5. p. 437. sq Neque is erat, ut temere sibi persuaderet fore, ut eventus animi sui votis plane responderet. Vid. V. 1, p. 567. sq. p. 573.

(3) Ibid p. 571.

(4) Ibid. p. 572. sq.

Lactantii scriptio eo majoris pendenda est, quo certius constat, consilium scribendi, quod ille cepisset, ab aliorum Apologetarum consiliis fuisse diversum. Primum enim scribere voluit *librum, quo religionem Christianam ab omni parte tueretur.* Nimirum plerisque ejus defensoribus ansam scribendi dederunt aut calumniae, quae Christi caussae adspergebantur, aut mala, quibus afficiebantur ipsius sectatores. Hi igitur, postquam ostenderant, Christianos et his et illis esse indignos, caussam suam peroratam putabant. Sic e. c. Minucii Felicis dialogus, cui titulus Octavii, absolvitur refutatione contradictionum, quas Caecilius protulisse fingitur, et impugnatione religionis majorum ab illo defensae. Quapropter Caecilius fatetur quidem, se ab Octavio esse victum, sed: „etiam nunc tamen, inquit, aliqua consubsi„dunt, perfectae institutioni necessaria, de quibus „crastino — congruentius, promptius requiremus." (1) Ita etiam Athenagoras in *Deprecatione pro Christianis* et Tertullianus in *Apologetico*, post exordium ad benevolentiam auditorum sibi conciliandam unice comparatum, singula, quorum Christiani accusabantur, crimina ab iis removere studuerunt, et eodem tandem, unde exorsi erant, redeuntes, ad justitiam et aequitatem principum provocarunt. Concedimus quidem, hos viros temporibus suis accommodate egisse, laudemque meruisse; veruntamen quis laudabiliorem esse

(1) Vid. c. 40. p. 237. sq. Lindner. An auctor forte in mente habuit alteram conscribere libri partem? an Cyprianus forte in libro, de *Idol. Vanit.* eâ potius, quam Tertulliani *Apologetico*, usus fuisse censendus est? sed video, multo esse facilius, conjecturas in medium proferre, quam probabilitatem iis conciliare.

esse negaverit scriptionem, quâ non solum refutentur veterum de Deo rebusque divinis sententiae, sed Religionis etiam Christianae et explicetur doctrina et divinitas probetur. Lactantium vero hoc sibi proposuisse, jam ipse, quem suis libris inscripsit, nos docet *Institutionum* titulus (1). Quod et diserte declaravit, his utens verbis: „ Aliud est accusantibus re„ spondere, quod in defensione aut negatione solâ po„ situm est, aliud *instituere*, quod nos facimus, in „ quo necesse est, doctrinae totius substantiam con„ tineri (2)." Quod non ita accipi debet, ac si aliquod doctrinae corpus, ut postea temporis factum est, compingere voluerit. Ipse enim scripsit: „ Tantummo„ do *instituendi* nobis homines erunt, hoc est, ab „ errore, quo sunt implicati, ad rectiorem viam revo„ candi; quod si fuerimus, ut spero, adsecuti, mit„ temus eos ad ipsum doctrinae uberrimum ac plenis„ simum fontem (3)." Sed Religionem Christianam ita tueri sibi proposuit, ut nemo quid desideraret, quo et refellerentur antiquiores ejus adversarii, et posteritati omnis contradicendi locus praeriperetur (4). Quodammodo quidem cum Lactantio comparari meretur Ar-

(1) Vid. L. I. 1. p. 7. sq. cff. *de irâ* c. 11. p. 1047. c. 17. p. 1078. *Epitom.* praef. p. 1220. Cic. *de Orat.* II. 1. *Epist. ad Q. Fratr.* I. 1. 6. Minus autem bene latine Lactantius suos libros *Institutiones* dixit. Haec enim vox plurali numero, aut plures significat doctrinas, aut a pluribus hominibus profectas. cf. Cic. *de nat. Deor.* I. 4.

(2) L. V. 4.

(3) L. I. 1. Nescio autem, an librorum inscriptio minus intellecta fraudem fecerit Viro Cl. W. Munscher, *Handbuch der Christl. Dogmengeschichte* T. I. p. 184. edit. alt.

(4) L. V. 4.

Arnobius; sed uti hujus viri libris haud pauca desunt, quae universae de rebus divinis institutioni vix deesse possunt, sic etiam in iis id magis egit, ut caussam Christi a falsis accusationibus vindicaret, quam ut homines ad veram Dei colendi rationem erudiret. Praeterea cum libri illi Lactantio, *Institutiones* suas conscribenti, nondum innotuisse videantur (1), haud scio, an ad laudem ejus comminuendam nihil facere potuerit Arnobii diligentia.

Deinde Lactantius alia, quam qui antea Christi caussam vindicandam susceperant, in mente habuit *tempora, quorum necessitati satisfaceret.* Huc jam pertinet, quod, ut modo monuimus, Religionem Christianam ab omni parte tueri voluit, cujus rei perficiendae otium antiquis Apologetis defuerat. Secundo, in horum libris plura reperiebantur, quae nunc minus erant necessaria. Non amplius tanquam a caussae patronis dicendum erat pro Christi sectatoribus. Non amplius civium iis negabantur jura. Immo vero res eorum in tuto quodammodo collocata erat. Hoc unum restabat, ut civium pars, quae superstitionibus avitis adhuc dedita erat, ad Christi sacra flecteretur et perduceretur. Jam vero Lactantium ad mutatam temporis rationem libros suos exigere voluisse, non tantum ex universâ eorum formâ atque indole apparet, sed auctoris quoque testimonio constat. Significat enim, se putare, Tertulliani *Apologeticum*, quamvis laude suâ non careat, statui, in quo res Christianorum jam

(1) Multi ne editos quidem fuisse statuunt. Sed hac de re alibi dicendi erit locus. Ipse Lact. suum consilium a ceterorum consiliis esse diversum, significat L. V. 2. p. 577. ubi verba: *caussam omnem Veritatis vi suâ non carent.* cf. et c. 4. p. 591.

jam esse coepissent, non amplius esse accommodatum (1).

Denique Lactantius propositum habuit, quae sibi ab aliis Apologetis minus bene disputata esse videbantur, *corrigendi, proque iis meliora substituendi.* Monuit scilicet hominibus Christianis adhuc defuisse: „idoneos peritosque doctores, qui acriter errores pu„blicos redarguerent, qui caussam omnem veritatis or„nate copioseque defenderent" (2). Quibus verbis etiam notare videtur Tertullianum, Minucium, Cyprianum, quamvis ceterum hunc illis, quod miramur, longe prefert; praecipue vero notavit eos, „qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem ar„gumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad „revincendum" habebant (3), scriptores in mente habens, quorum opera perierunt. Quae igitur ab his viris minus recte dicta erant, plerumque, ut passim ostendemus, nominibus auctorum silentio praetermissis, correxit. Generatim autem recte Cyprianum queritur *mystica et ad id praeparata locutum esse, ut a solis fidelibus audiantur* (4). Ita et suo jure reprehendit, eum non *argumentis* et *ratione*, sed *scripturae testimoniis* refellere studuisse Demetrianum, qui ad aliorum exemplum clamasset, mala, quae

(1) L. V. 4. p. 589. sq.

(2) L. V. 2. p. 576. sq. dicit *apud nostros*, quibus verbis *Latinam* tantum, ut ajunt, *Ecclesiam* significasse videtur. cff. I. 5. p. 30. c. 18. p. 113.

(3) L. V. 1. Bene autem monet Barbeyrac l. c. p. 119. Lactantium suo exemplo contradixisse laudibus, quas Cypriano tribuit.

(4) L. V. 1. p. 576. quae in *Cod. Bonon.* huic loco adduntur, glossema sapiunt, e loco mox citando petitum.

quae acciderent generi humano, Christi sectatoribus esse imputanda (1). E contrario philosophorum, aliorumque scriptorum exterorum testimonia, ubi fieri posset, in auxilium vocanda esse statuit. — Valde quoque ei displicuit negligentia literarum humaniorum et eloquentiae, quam adhuc prodiderant caussae Christi defensores (2). Sibi nempe persuasum habebat, neminem, qui hac ope carebat, probare posse *religionem* Christianam *cum sapientiâ esse conjunctam* (3). Sed ut omnibus appareat Lactantio consilium eloquentiae ad Religionis Christianae defensionem adhibendae, recte a nobis adscribi, haec ejus legantur verba: (4) „Vellem mihi, — etsi non qualis in M. Tullio „fuit, quia praecipua et admirabilis fuit, aliquam tamen „proximam contingere facultatem, ut quantum veritas „vi suâ propriâ valeat, tantum ingenii quoque viri„bus nixa, exsereret se aliquando."

(1) L. V. 4. p. 590.

(2) Vid. L. I. 1. III. 1. V. 1.

(3) L. IV. 3. sq. V. 1. cff. I. 1. III. 11. VII. 27. al.

(4) L. III. 1. Sparkius ad h. l. *vellem*, inquit, *id est*, *nisi per se satis valeret veritas!* Prima autem Lactantii verba conveniunt cum Arnob. L. II. c. 1. princ. Sed non ea est similitudo, ut propterea dicamus, auctorem ea a praeceptore suo accepisse. Neque conjectura Illustr. Maji ad Cic. *de rep.* Lib. III. c. 22. Lactantium hac quoque in parte Tullii fuisse pedissequum omnino probanda videtur.

CAPUT II.

DE SERIE INSTITUTIONUM DIVINARUM, QUAS SCRIPSIT LACTANTIUS.

Consilio Lactantii laudato, nunc series librorum ab eo scriptorum exponenda est. Cujus rei exemplum ille nobis dedit in *Epitome Institutionum Divinarum ad* Pentadium scriptâ, ita tamen, ut a libris illis nonnunquam discederet (1). *Institutionum Divinarum* duae sunt partes, quarum altera versatur in refutandis tum exterorum hominum generatim, tum philosophorum opinionibus, altera in defendendâ et commendandâ religione Christianâ.

Primus liber *falsam religionem* exponens, gentes turpissime errare arguit. Quaestione, sitne Providentia, quae rebus omnibus consulat, omissâ, auctor opinionem, plures esse Deos, refutat, et quidem contrario ejus, Deum nempe esse unum, tum ratiocinatione, tum provocatione ad scriptorum sacrorum et exterorum, ipsiusque adeo Apolllinis vocem demonstrando. Deinde ex Graecorum et Romanorum libris probare conatur, divinam naturam, quam Jovi, Apollini, Herculi aliisque tribuant, esse nullam, siquidem illi ho-

(1) Exemplum adjectionis vid. c. 29. omissionis c. 26. sq. coll. *Inst.* II. 6. sqq. transpositionis c. 52—67. coll. *Inst.* L. V. sq. Nonnulla hodie desiderantur post c. 14.

homines fuerint, neque optimae quidem notae. Quod, ut sibi ex voto succedat, natales eorum, res inter homines gestas, mala, quae passi sunt, mortem denique et sepulchra ostendit. Porro in caussas inquirit, cur Deorum in ordine collocati sint, ipsosque etiam ridet, postquam in coelum recepti essent, scelerum auctores. Sigillatim quoque id agit, ut Romanorum Dii honore iis tributo indigni esse deprehendantur. Denique sacrorum ac mysteriorum usu receptorum perversitatem, humanam variarum religionum originem, recentemque earum inventionem conspicuam facit.

Praecipuâ libri secundi parte continetur disquisitio de *origine erroris*, quem auctor putat exterorum religioni a malis geniis importatum esse. Priusquam autem hanc disputationem incipiat, efficere studet vanitatis et impietatis reum esse hominem, qui simulacra, neque minus, qui *elementa* divino honore prosequatur. Nunc ad argumentum veniens sibi propositum, inducit, quae sibi objiciuntur, prodigia, somnia, auguria, oracula, quae scilicet majestatem Deorum ostendere feruntur. Quod ut refellat, lectoribus persuadere conatur, uti universas gentium religiones, ita et haec omnia geniis malis deberi. Rem autem paulo altius repetens, Deum dicit produxisse *similem sui Spiritum*, *qui esset virtutibus Dei Patris praeditus*, deinde fecisse alterum, *in quo indoles divinae stirpis* non permanserit, itidemque *alios operum suorum ministros*, quorum altera pars postea *a coelostis substantiae vigore* desciverit: *primum* vero *illum et maximum Filium universo* mundi condendi *operi fuisse praefectum*. Jam porro refutatâ eorum sententiâ, qui materiem rerum a Deo factam esse negarent, ortum animalium et generis humani exponit, hominumque antiquissimam historiam persequitur ita, ut ex eâ appareat, veram Dei religionem antiquiorem esse plurium Deorum veneratione.

 Suam

Suam denique opinionem in medium profert de ratione, quâ genii coelestes, cum a Deo ad tutelam generis humani missi essent, *Diaboli satellites* facti sint, hominibusque auctores exstiterint plures colendi Deos. Quae adhuc disputavit, eum ducunt ad conclusionem faciendam (1), religiones triplici nomine vanas esse et impias, vel quod homines fuerint, quorum memoria post mortem consecrata sit, vel quod non oporteat hominem, simulacra divino prosequi honore, vel quod *spiritus impuri* et condemnati a Deo earum fuerint auctores.

In tertio libro, *de falsâ sapientiâ* inscripto, ostendere conatur philosophorum sententias *stultas* esse. Hoc igitur commonstrato, philosophiam ab ipsâ differre sapientiâ, et uti de rebus intelligibilibus nihil rationis humanae ope sciri possit, sic omnem de iis opinationem vanam esse, et philosophorum lites et discordias ipsam philosophiae caussam evertere, a *physicâ*, ut ipse ait, ad moralem transgreditur disciplinam, et ad locum quidem celeberrimum de *summo bono*, cujus naturam, variis philosophorum sententiis expositis et refutatis, ita definivit, ut illud animo tantum hominis virtute et scientiâ praediti contingere posse diceret. Nunc vero id agit, ut lectoribus suis persuadeat, summum illud bonum in animi immortalitate, i. e. beatitate post mortem positum esse. Disciplinâ autem, quae *Logica* dicitur, omissâ, laudibus se opponit a Cicerone, aliisque philosophiae tributis. Neque contentus est hac universâ philosophiae vituperatione, sed singulorum quoque philosophorum errores demonstratum

(1) Vid. L. II. c. 17. quod censeri potest summam rerum exhibere, quas continet vel liber secundus, vel unâ cum eo liber primus, quorum tamen hoc illi praeferendum videtur. cf. *Epitom.* c. 30.

tum it, Epicuri nempe, Pythagorae, Zenonis, Socratis, Platonis, Democriti, aliorumque unam alteramve sententiam sibi displicentem enarrans et refutans. Porro Religionem Christianam, utpote hominibus omnibus accommodatam, inque animos eorum efficacem, et auctoritate divinâ nitentem, philosophiâ longe superiorem esse docet: atque his omnibus acerbissimam addit reprehensionem philosophorum, qui omnia naturae vel fortunae tribuant.

Priore igitur *Institutionum Divinarum* parte absolutâ, Lactantius ab initio libri quarti, *de verâ sapientiâ* dicti, alteram earum partem incipit, quâ, ut supra monuimus, Religio Christiana a contradictionibus vindicetur et exteris hominibus commendetur. Argumentis autem in medium prolatis, quibus demonstraret religionem veram cum sapientiâ esse conjunctam, divinam Jesu Christi probat auctoritatem. Primum, pauca praefatus de antiquis Hebraeorum vatibus, Christo naturam et divinam et humanam tribuit, non solum ad Litterarum Sacrarum provocans auctoritatem, sed etiam ad Mercurii *Trismegisti*, *Sibyllarum* aliorumque testimonia. Eodem modo historiam Jesu ita persequitur, ut ostendere conetur, singula, quae illi, dum hac in terra vivebat, contigerint, multis ante seculis fuisse praedicta. Nunc vero tria commemorat, ab adversariis Religioni Christianae opposita; *primum*, qui dicat, Deum hominem esse factum, dicere quod eo indignum sit; *alterum*, crucis supplicium Christo illatum ejus caussae adspergere maculam; *tertium*, naturam ejus divinam repugnare doctrinae, Deum esse unum. Quibus contradictionibus repulsis, exteros homines adhortatur, ne, si Christi sectatores fieri vellent, haereticorum sectis se adjungerent.

Liber quintus disputationem continet *de justitiâ*,

 quae

quae aut fons virtutis sit, aut ipsa summa virtus. Nimirum, ut homines exteros hac justitiâ carere efficiat, ex poetarum fabulâ, seculo aureo, quod sub Saturno rege floruisset, consumto, vitia et scelera varii generis inter homines introducta esse, ita auctor argumentatur, Polytheismum ansam dedisse istis malis, quorum omnium fons hominum esset avaritia, seu cupiditas; Deum vero, misso Christo, justitiam eam reduxisse. Nonnullorum deinde contradictione, neminem esse justum, repressâ, exemplorum copiâ utitur, quâ homines ab antiquo corruptissimos fuisse probet, et inprimis depravatos Deorum reverentiâ, quorum vitas et mores intuerentur et sequerentur. Christianorum porro, qui, propter animi constantiam in malis atrocissimis perferendis, ab exteris hominibus tanquam stulti ridebantur, caussam ita agit, ut doceat, improbos homines recti et honesti studium pro stultitiâ habere, et famosissimam refutet Carneadis de justitiâ disputationem. Itaque odium justitiae caussam exstitisse, cur in Christi sectatores saeviretur, adeoque religionum veterum pravitas proderetur, in luce ponit clarissimâ.

Cum libro quinto arctissime cohaeret sextus, ubi disputat auctor, de *vero* Dei *cultu*, quem in virtutis et pietatis studio cerni ostendit. Primum poetarum et philosophorum explicat sententiam, duplicem viam, quam terant, hominibus esse propositam. Deinde, virtutis notitiâ contra aliorum opiniones ita definitâ, ut eadem sit ac Dei colendi studium, ad Litterarum Sacrarum normam de hominum officiis disputare instituit, se nimirum conjungendi et cum Deo et cum hominibus, id est, religionis sequendae et humanitatis praestandae. Humanitatis, cui veniam peccatorum tanquam mercedem promittit, appellatione complectitur praeter alia hospitalitatem, redemtionem captivorum

rum, auxilium pupillis et viduis afferendum, peregrinorum denique et pauperum sepulturam. Uti porro contra Stoicos et Peripateticos de animi disputat affectionibus, sic officio humanitatis, non gloriae captandae, sed Deo placendi caussâ satisfaciendum monet, huic autem officio adversari mendacia, maledictiones, ultionem sui, usurarum acceptionem et hujus generis plura. In disputatione de *quinque sensuum voluptatibus* postrema hujus libri pars versatur, easque virtute superandas, aut ad rationem revocandas esse auctor docet. Cum autem nemo mortalium culpâ vacet, nonnulla his addidit, de modo recuperandi favoris divini, sive de *poenitentiâ* et *resipiscentiâ*. Rationem denique ita concludit, Deo offerri debere *donum*, quod sit integritas animi; et *sacrificium*, id est, laudem et hymnum; his enim constare verum Dei cultum.

Quamvis inscriptio libri septimi, *de vitâ beatâ*, sive *de divino praemio*, auctoris menti satis bene convenit, tria tamen in eo continentur. Primum igitur, postquam Platonis, Aristotelis, Epicuri, Stoicorum de origine mundi sententias censuerat, docuit, Deum mundum condidisse animantium caussâ, ceterosque animantes fecisse propter hominem, hunc vero unum, ut vitae suae auctorem religiose coleret. Alterum, quod ab eo tractatur, quaestio est, de immortalitate animi, et Platonis quidem opinione judicio suo subjectâ, argumenta, quae sibi vim probandi habere videbantur, protulit, et contradictiones aliorum diluere conatus est, suam denique sententiam confirmare studuit, ita tamen ut non sacrorum scriptorum, sed Mercurii *Trismegisti*, Apollinis et *Sibyllarum* testimoniis uteretur. Tertio, de reditu Christi hanc in terram exponens,

 suam

suam opinionem, sex millium annorum numero post orbem conditum expleto, humanarum rerum statum in melius mutatum iri, probare annititur. Varia deinde enarravit mala, quae sibi persuasum habebat, ante illa tempora Romanorum imperium et universum genus humanum manere. Porro Christum, ubi revertatur, sectatores suos, quo publicum de iis judicium agatur, e mortuis suscitaturum, adversariisque superatis, per mille annos regnaturum dixit. Quod ne sine auctore perhibuisse videretur, et aliorum et Virgilii, quae appellabat, vaticinia adduxit. Denique contendit, cum isti mille anni effluxerint, acerrimum denuo inter Diabolum ejusque satellites, et Christi sectatores fore certamen, illum autem a Deo sublatum, terram renovatum, omnes omnino mortuos in vitam revocatum, superstitionis antiquae servos ad aeternas poenas condemnatum iri, at pios veri Dei cultores aeternâ beatitate gavisuros esse. Postremum hunc librum, adeoque opus universum absolvit adhortatio auctore dignissima, quâ homines exteri excitantur, ut sapientiam cum verâ religione suscipiant.

Expositâ adhuc horum librorum serie, jam satis intelligimus, Lactantium scriptionem eorum ita instituisse, ut consilio ipsius maxime conveniret. Sed nunc ostendendum est, scribendi, quam ille secutus est, rationem laudabilem esse et *concinnitate* et *facilitate* et *amplitudine*. *Concinnitate* dicimus partes librorum bene et ordinate ab auctore distributas esse. Videlicet argumenta diversi generis a se invicem plerumque accurate disjunxit: et primum quidem Religionis Christianae defensionem et dissentientium refutationem.

Quam

Quam utramque cum apologetae antiquiores (1) seorsim tractare vulgo neglexerint, in hoc inciderunt incommodum, quod, animis eorum studio, adversarios suo tanquam gladio jugulandi, calefactis, et ipsi carerent prudentiâ ad partes suas tuendas necessariâ, et aliis voluntatem praeriperent, argumenta, quibus utebantur, placide et sincere examinandi. Lactantius vero ab erroribus refellendis incipiens, homines ad caussae Christianae defensionem recte aestimandam et benevole accipiendam praeparavit. Praeterea auctor philosophorum placita a vulgi superstitione, externa, quibus religionis Christianae divinitatem probaret, argumenta ab ejus internâ praestantiâ, doctrinam Christi contemplativam ab ejus parte activâ, atque hanc rursus ab utriusque partis vi in hominum animos salutari diligenter distinxit. Alterum, quod animadvertendum est, in continuatâ quadam cernitur progressione, quâ fecit Lactantius, ut sequentia continuo ad praecedentia corroboranda inservirent. Tota enim huc redit disputatio: „ vulgi religiones sanae „ rationi repugnant, et uni geniorum malorum fraudi „ debentur. Neque philosophi docuerunt, quod ho„ mine sapienti dignum sit. Christus vero divi„ nus religionis doctor exstitit, qui sectatores suos et „ verae sapientiae participes, et sincerae virtutis stu„ diosos redderet: quo in studio nihil est, quod quis „ miretur, qui Christianae morum disciplinae naturam „ et indolem bene perspexerit. Neque haec religio „ homines ad virtutem tantum perduxit, sed eos etiam „ ad spem aeternae beatitatis erexit." Ita Lactantius, quem tamen tantopere non laudamus, ut fa-te-

(1) Excipiendus tamen est Arnobius; sed hic aliud sibi volens quam Lactantius, caussae suae defensionem dissentientium refutationi praeposuit.

teri nolimus, quod satis manifestum est, eum et nonnulla alieno posuisse loco (1), et plura interdum temere repetiisse (2), et in libro maxime quinto diversa nonnunquam confudisse (3). In hoc autem vitium incidit fervore animi, malorum, quibus Christi sectatores affecti erant, multitudine et atrocitate exacerbati; illa vero facile plerumque evitaturus fuisse videtur, si doctrinae Christi contemplativae, aeque atque activae, peculiarem librum destinasset (4).

Concinnitati horum librorum adjungimus *facilitatem*, quâ hoc nobis volumus, singulas eorum partes nativâ quadam simplicitate, tum ab argumento pendere universo, tum inter se connexas esse. Nimirum in lectione veterum nominis Christiani scriptorum loca saepe invenimus, quae primâ fronte vel ab argumento auctoris aliena esse, vel cum superioribus minus cohaerere videntur. Cujus notae e. c. est Arnobii disputatio de animi humani naturâ (5). Lactantii vero *ratio*, quanto melius se habeat, ex iis, quae de universâ librorum ejus serie diximus, apparet. Libros autem quod attinet singulos, quis quaeso dispu-

(1) Huc pertinere videtur disquisitio de filio Dei, malis geniis, eorumque principe, de origine itidem mundi et generis humani. Lib II. c. 8. sqq. cff. et L. VII. 1. sqq.

(2) De hominum praestantiâ et animi immortalitate auctor disserit L. II. 1. sqq c. 8, 10. sqq. L. III. 9. L. VII. 4, 8. sqq alibi.

(3) Argumenta historica a philosophicis, ratio *analytica* a *syntheticâ* non satis accurate sunt disjuncta. Omnia tamen eo spectant, ut ostendatur virtutis studium in Christi sectatoribus conspicuum.

(4) Videri possit auctor, quod desiderare nos dicimus, praestitisse in Lib. *Inst.* IV. Sed in eo de Religionis Christianae magis egit doctore, quam doctrinâ.

(5) Vid. Lib. II. c. 14—56.

putandi ordinem, ad omnium lectorum captum accommodatiorem postulaverit, quam qui in illis reperitur? Exemplo nobis sit liber primus, ubi auctor sic ratiocinatur; „*Polytheismi* defensores sanae rationi, unum „esse Deum docenti, contradicunt, suamque ipsi evertunt causam, siquidem et sumant, Deos suos olim „hominum instar hac in terrâ vixisse, et iis tribuant, „quae Deo plane indigna sint, et in religione denique „acquiescant haud ita pridem inter homines fraudulen„ter introductâ." Jam vero quemadmodum hic, ita et alibi, plerumque disputationis capita tam lucide conglutinata sunt, ut cuivis nexus eorum in oculos incurrat (1). Et ne quis vel sic tamen haereret, auctor cavere studuit, tum, quisnam singulorum librorum nexus sit, indicando (2), tum, quaenam sibi in sequentibus tractanda sint significando (3), tum denique praecedentia lectoribus in memoriam revocando (4). Concinnitati et facilitati, quibus splendet Lactantii disputatio, ejus denique accedit *amplitudo*, quam series librorum supra exposita, ei inesse docet. Ne vero re-

(1) Experti quidem sumus, quod probe intellexit Rau l. c. p. 23. expositionem ordinis, quem Lactantius in disputando sequatur, rem esse difficillimam et periculi plenam; sed cur hunc ordinem tam obscurum esse perhibuerit, ut vix ostendi posset, plane non intelligimus. Certe auctoris negligentiam exaggeravit, monens tamen, ne nimium Lactantio detraheretur, hanc negligentiam ei cum Senecâ, Plutarcho aliisque fuisse communem, p. 63.

(2) Vid. L. II. 1. c. 17. c. 19. III. 2. c. 30. IV. 30. VI. 1. VII 1.

(3) L. I. 7. p. 48. II. 8. p. 216. c. 10. p. 248. III. 13. p. 334.

(4) L. II. 6. p. 207. c. 16. p. 269. IV. 6. p. 440. VI. 1. p. 702. c. 9. p. 742. VII. 1. p. 858. c. 4. p. 872. c. 5. p. 881. et c. 6. p. 888. in not.

repetamus, quae jam satis illustrata sunt, nunc breviter id, quod volumus, exemplo ostendamus ex Tertulliani scriptis petito (1). Hic igitur in *Apologetico* sectatores Christi ab homicidii, Thyestearum epularum, incestae libidinis, impietatis et laesae majestatis crimine defendit. Cui defensioni passim adjicit, quae ad refutandas pravas de Diis rebusque divinis opiniones, ad praedicandam felicissimam Religionis Christianae propagationem, ad laudandam Christianorum constantiam, et ad divinam Christo vindicandam auctoritatem pertinebant. Praeterea breviter commonstrat, Christi doctrinam philosophorum placitis longe esse praestantiorem. Horum pleraque tractat etiam in priori *ad Nationes* libro, sed in altero, in Deorum inquirit naturam, Varronem ducem sequens, qui triplex eorum genus esse dixerat, *physicum*, *poëticum* et *populare*. In libro *ad Scapulam* Christianorum tuetur innocentiam, inque provinciarum praesides, crudelissimos eorum vexatores, acerrime invehitur. Libellus, cui titulus, *de testimonio animae*, probatum agit, in hominum pectoribus vocem esse, quae et unum esse Deum, et genios esse malos, et boni malique mercedem post fata exspectandam esse clamet. In libro denique *adversus Judaeos* scripto, caussam Christi auctor tuetur, ad Veteris Testamenti libros provocans, ut hunc Messiam esse efficiat antiquitus a Deo promissum. Jam vero Lactantius haec omnia scribendo comprehendit, et haud pauca praeterea exposuit, quae Tertullianus vel prorsus omiserat, vel obiter tantum attigerat, ita ut argumentorum, quibus ad caussam Christi defendendam etiamnum utimur, vix unum al-

(1) De Tertulliano *Apologetâ* Commentat. scripsit Vir Vener. J. A. Coenen in Annal. Acad. Rhen. Traj. ann. 1823—1824.

alterumve, nulla vero argumentorum illorum classis in ipsius *Institutionibus* desideretur. Si quis autem cum Lactantio Minucium, Cyprianum aliosque comparaverit, multo magis eum rerum scriptarum amplitudine excellere videbit. Ne quis vero suspicetur, varietatem hinc ortam facere ad distrahendos et confundendos lectores, monendum est, auctorem diligenter curasse, ut singulae disputationis suae partes, quemadmodum circuli radios in unum punctum tendere, ibique omnes inter se contingere novimus, ita ad unam eandemque religionis Christianae commendationem ducant. Scriptioni suae quoque hunc modum adhibuit, (sunt ipsa ejus verba) „ut neque prolixitas pareret fastidium, nec ubertas oneraret (1)."

CAPUT III.

DE FONTIBUS, QUIBUS AD SCRIBENDAS INSTITUTIONES DIVINAS LACTANTIUS USUS EST.

Uti adhuc de consilio Lactantii, librorumque ab eo scriptorum serie disputavimus, sic etiam commonstrandi esse videntur fontes, quibus ad scribendum usus est. Mentem igitur attendamus et ad *Litteras Sacras*, et ad *scripta sectatorum* Christi, et ad *exterorum hominum libros*.

Quanta in Lactantio fuerit *Litterarum Sacrarum*

(1) Vid. *Epitom.* praef. p. 1220

cum cognitio, magni ponderis est disquirere (1). Et prima quidem fronte, magna illa fuisse videtur, si quidem auctor non tantum primorum hominum, Israëlitarum, et ipsius Jesu historiam copiose enarret (2), sed etiam ingentem locorum copiam e litteris modo dictis excitet. Re autem diligentius considerata, dubitandi existit caussa. Nimirum in oculos incurrit, Lactantium paucissimis tantum uti Novi Testamenti locis (3), Veteris autem Testamenti longe pluribus quidem, sed in nullo fere alio *Institutionum* suarum libro, quam quarto (4). Quamquam enim passim ad Litterarum Sacrarum auctoritatem provocat (5), „testimonia," tamen inquit, „et verba ponere opus non esse duxi, „quoniam esset infinitum, — praeterea, ut ea ipsa, quae „dicerem, non nostris, sed alienis potissimum litteris „confirmarem (6)." Prudens hoc fuisse consilium, quisque videt; at suspicio mihi est, auctori, cum hoc scriberet, loca, quae laudaret, praesto non fuisse (7). Rem igitur paulo penitius examinemus.

Ve-

(1) De Lactantio interprete paucis egit Rosenmuller, *Hist. Interpret.* P. III p. 295—300. uberius J. D Winckler, *Philologemata Lactantiana Sacra*, Brunsvig. 1754, qui tamen operae pretium nobis fecisse non videtur.

(2) Vid. L. II. 12. sqq. IV. 10, 12 sqq. VII. 15.

(3) *Matth* V. 28. sqq. adducuntur *Inst.* VI. 23. p. 824. sq. *Matth.* XXIII. 12. *Inst.* V. 15. p. 649. *Joa.* I. 1. sqq. *Inst.* IV. 8. p. 451. Winckler l. c. Lactantium multa loca ad disputationem suam usitantem facit, quae ille in mente non habuisse videtur.

(4) *Inst.* VII. 14. p. 933. adducitur *Ps.* XC. 4. *Inst.* VII. 20. p. 957. *Ps.* I. 1.

(5) Vid. L. I. 4. p. 23. II. 11. p. 252. e. 12. p. 256.

(6) L. VII. 26. p. 976. sq. cf. L. I. 5. p. 27. VII. 13. p. 927. *de Ira Dei* c. 22. p. 1102. sq.

(7) Videtur saltem simili modo egisse L. III. 24. p. 395.

Veteris Testamenti scripta non nisi ex interpretatione Lactantius *sibi cognita habuit*. Imperitiam enim suam sermonis Hebraei (1) prodidit appellatione *Hierosolymorum* a Salomonis nomine (2), *Paschatis* a verbo πάσχειν (3), et *Sabbati* ab Hebraeorum numero septenario derivandâ (4). Praeterea, ne de locis dicam, quae in codice Hebraeo non apparent, (5) scriptorum Sacrorum verbis saepe ita utitur, ut eorum interpretatio magis conveniat cum interpretatione Graecâ Alexandrinâ, quam cum archetypo Hebraeo (6). Sic, ut ostendat ab antiquis Vatibus Christum dictum fuisse *hominem*, tria lau-

395. Ceterum dicit Rau l. c. p. 16. auctorem in excitandis sacris scriptoribus fallere lectorem. Sed hujusmodi errorem non memini ab eo alibi fuisse commissum, quam L. IV. 17. ubi Jeremiae verba tribuit Jesaiae.

(1) Cf. Rosenm. l. c. P. III. p. 298. de aliis Christianorum doctoribus cff. P. I. p. 162. P. II p. 255. P. III. p. 23. sqq. p. 61. sqq. p. 287.

(2) L. IV. 13. p. 478. alios similiter errasse monet Bünem ad h. l.

(3) L. IV. 26. p. 544. Rosenm. l. c. P. III. p. 298. dicit hoc itidem placuisse et aliis et Tertulliano.

(4) L. VII. 14. p 933. Cf. Theoph. ad *Autolyc.* L. II. p. 91. in oper. Justin. edit. Paris. 1636. a quo fieri potest, ut Lactantius sua acceperit.

(5) Lact. post Cyprianum adducit *Sap. Sal.* II. 12. sqq. *Sirach* XXIV 3, 4. *Bar.* III. 35. sq. *Inst.* IV. 12. p. 463. excitantur Salomonis verba, quae neque alibi, neque in Fabricii *Cod. Pseudepigr.* V. T. inveni. *Inst.* IV. 18. p. 510 locus Esrae adducitur, quo usus etiam est Justin. M. *dial. c. Tryph.* p. 297. sq. Cf. Fabric. l. c. V. I. p. 1151. sqq

(6) Lact ab interpretatione Alex discedit in exhibendis locis *Jes.* IX. 5 c. XLV. 8. Vid. *Inst.* IV. 12. p. 465.

laudat loca, ubi in illâ interpretatione vox *ἄνθρωπος* quidem legitur, sed nomen, quod ei respondeat, codici Hebraeo deest (1). Aliud exemplum nobis praebet celebratissimum Jesaiae de Cyro oraculum, ubi vox *κύρῳ*, quam recte scripserat interpres Graecus, cum voce *κυρίῳ* confusa, ansam dedit scribendi, quod apud Lactantium reperitur, *domino* (2). Neque hunc tamen ipsum interpretationem Alexandrinam consuluisse et vertendo reddidisse putaverim, quoniam dictio Latina, ubi loca Veteris Testamenti excitantur, tam vitiosa est, ut a Lactantio profecta esse nequeat. Quis interpretationis hujus Latinae auctor, quaenam ejus indoles fuerit, aeque incertum est, atque origo et indoles versionum Latinarum, quae ante Hieronymum exstiterunt (3). Non diversa fuisse videtur ab interpretatione Cypriano, et plerumque Tertulliano usitatâ.

Sed de Cypriano plura dicenda sunt. *Hunc* enim *ducem fuisse, quem auctor vulgo in excitandis Litterarum Sacrarum verbis sequeretur*, a probabilitate non abhorret. Notandum *primum* est, Lactantium non solum iisdem citandi formulis vulgo uti ac Cyprianum (4), sed etiam in quarto libro, ubi earum maxima copia est, a latinitatis elegan-

(1) *Num.* XXIV. 17. *Jes.* XIX. 20. *Jer.* XVII. 9. Vid. *Inst.* IV, 13. p. 472. sq.

(2) *Jes.* XLV, 1. Vid. *Inst.* IV, 12. p. 476. sq. Cyprian. *Testim. adv. Jud.* I. 21. Tertull. *adv. Jud.* c. 7. T. II. p. 289. edit. Semler.

(3) Cf. Vir egregius L. van Ess in libro: *Pragmatisch-Kritische Geschichte der vulgata im algemeinen, und zunächst in Beziehung auf das Trientische Decret.* Tubing. 1824. p. 9. sqq 19. sqq. 95. sqq.

(4) Speciminis loco, vide *Inst.* IV. 17. p. 501. cf. *Epitom.* c. 44.

gantiâ multo magis, quam alibi discedere (1). *Deinde*, uterque scriptor propemodum eadem loca eodem et modo (2), et consilio, et ordine (3) ad disputationem suam adhibet. *Denique*, ubi versantur in explicandis vaticinationibus, ut appellant, Messianis, tantum similitudinis inter eorum disputationes intercedit, ut alter alterius exemplum expressisse videatur.

Certas interpretandi regulas nondum viderat Lactantii aetas; quare nemo miretur, eum Litteras Sacras saepe ita interpretatum esse, ut vel a *loquendi usu* discederet, vel *orationis contextae* rationem non haberet, vel de *orationis figuris* perperam judicaret. Loquendi usum plane negligit, ubi Christum in Veteri Testamento *verbum* s. *Sermonem Dei* nominari dicit (4). Orationis contextae rationem non habet, cum verba, quibus Deus Jeremiam alloquitur: „ antequam te in utero formarem, novi te," itidem de Chri-

(1) Nonnunquam etiam auctor verbis notionem tribuit minus latinam, quae Cypriano et Tertulliano fuit usitata. Sic verbo *habere* pro *debere* s. *futuram esse* utitur, *Inst.* IV. 12. p. 466. ad q. l. cf. Bünem. itidem c. 20. p. 519. c. 30. p. 562. Huc non pertinet formula *habent dicere Inst.* VII. 6. p. 894. quae Ciceronis exemplo defendi potest. Vid. loca citt. ad *Inst.* IV. 30.

(2) Eadem ab utroque omittuntur 1 *Sam* II. 35. *Ps.* XXVIII. 4. 5. *Jes.* XLV. 14—16. c. LXVI. 18, 19, *Jer.* XI. 18, 19. eadem adduntur *Deut.* XXX. 6. *Sirach* XXIV. 3, 4. eodem modo ab Alex. interpr. disceditur, *Jos.* V. 2. *Jes.* VII. 14 c. XLV. 1. *Jer.* XV. 9. *Amos* VIII. 9. *Zach.* XII. 10. *Bar.* III. 35.

(3) Sic Lact. *Inst.* IV. 11. Cypr. l. c. I. 2. quo ostendant, legatos divinos a Judaeis fuisse male habitos, provocant ad 1 *Reg.* XIX. 10. *Nehem.* IX. 26. *Jer.* XXV. 4—6. qui locus ex interpret. Alex. exhibetur, non cum *Jer.* XLIV. 4. confunditur, uti putat Cell. ad Lact. l. c.

(3) Lact. IV. 8. p. 450. Cypr. II, 3. utuntur *Ps.* XXXIII 6. *Ps.* XLV. 2.

Christo explicat (1). Porro figurâ, quae verbis: „ fides e solo propullulabit" inest, non intellectâ, poëtam hic de filio Dei, ejusque terreno corpore locutum esse opinatur (2). Generatim tenendum est, Lactantium magis spectasse, quid verba significare possent, quam quid vere significarent; quod hanc ei fraudem fecit, ut e. g. poëtam, ubi *hominum impiorum* induceret *concilia*, Judaeos Jesum interficere studentes in mente habuisse putaret (3).

Forte quis putet, nos denegandâ Lactantio Litteras Sacras interpretandi peritiâ, haud multum ipsi laudis relinquere. Cui ut occurram, dicere nolo ab antiquo hoc scriptore postulari non posse, quae hac aetate in paucis tantum cernantur, viris doctis; neque etiam, quod in eo reprehendendum sit, apud Tertullianum quoque, Cyprianum aliosque reperiri, sed eum hac in re apologetis antiquioribus antecelluisse, jam ex eo colligimus, quod opinione illâ valde vulgari, Spiritum Sanctum, veluti tubicinem tibiis, ita scriptoribus Sacris usum esse, sibi relictâ, illos ope divinâ ita adjutos fuisse confitetur, ut suae cuique partes tribueren-

(1) *Jer.* I. 5. Vid. Lact. IV. 8. p. 446. ubi verba: *et item apud ipsum; beatus qui erat*, valde exercuerunt viros doctos. Omnia plana sunt, si pro iis substituuntur: *etenim apud ipsum beatusque erat.* Sed nihil mutare ausim. Codices autem supra memorati vulgarem sequuntur lectionem, excepto Cod. 38. a. olim Francii, ubi legitur, *et ita apud ipsum beatus erat, qui antequam nasceretur, quod* eet: Ceterum cf. Cypr. l. c. I. 21. Tertull. autem *de animâ* c. 26. multo rectius haec verba ad ipsum Jeremiam refert.

(2) *Ps.* LXXXV. 12. Vid. Lact. IV. 12. p. 464.

(3) *Ps.* I. 1. Vid. Lact. IV. 16. p. 494. cf. Tert. *adv. Marc.* IV. 42. T. I. p. 365. qui simili modo Josephi *Arimathei* significationem huic loco inesse dicit.

rentur (1). Et sane Lactantium haud pauca Litterarum Sacrarum loca recte interpretatum esse, in alterâ hujus Scriptionis parte ostendemus. Nunc generatim monemus, eum Grammaticae interpretationis insigniter studiosum fuisse. Rosenmullerus quidem eum *allegoricis argutiis nimis indulsisse et ubique typos et mysteria quaesivisse* perhibet (2), sed quamquam Lactantius Cypriani scripta, typicae et allegoricae interpretationis plena, haud raro sequitur, hujus tamen perversitatis se perpauca in ejus libris produnt vestigia (3). *Deinde*, ubi huic interpretationi se dedit, leniter ferendus est, si quidem, quod in medium proponit, plerumque haud longe quaesitum, et ab ipsis Novi Testamenti scriptoribus fere petitum est. Ut quae monet de Josuâ (4), de agno paschali (5), de cruoris notâ, quam Israëlitae forum liminibus adsperserunt (6), de circumcisionis ritu, aliisque Mosaicae Religionis institutis (7). *Denique* allegoricam interpretationem ita approbavit, ut rationi Grammaticae primas partes se tribuere manifestaret. Ita v. c. postquam dixerat: „Quoniam sex diebus cun-

(1) Vid. L. I. 4. p. 23. III. 1. p. 286. IV. 11. p. 457, coll. V. 1. p. 574

(2) l. c. P. III. p. 299. sq. nonnullis exemplis commemoratis, quonam jure scripserit, eorum similia *multa* in Lactantii opere reperiri, equidem non video.

(3) Praecipua loca sunt *Inst.* IV. 17, 20, 26. VII. 14, 15.

(4) *Inst.* IV. 17. p 502. Cf. *Hebr.* IV. 8.

(5) *Inst.* IV. 26. p. 544. sq. Cf. 1 Cor. V. 7.

(6) *Inst.* l. c. p. 543. sq. cf. *Hebr.* XI. 28. Post Wincklerum l. c. p. 67. sq. aliosque, erravit Rosenmullerus l. c. p. 299. scribens, hanc adspersionis notam è sententiâ Lactantii fuisse *cruciformem*.

(7) *Inst.* IV. 17. p. 502. sq. Cff. *Rom.* II. 29. *Col.* II. 11. *Epist. ad Hebr.* passim, inprimis c. X.

„ cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, „ id est, annorum sex millia, manere in hoc statu „ mundum necesse est," hanc suam opinionem verbis poëtae, *mille annos apud Deum uni diei aequales esse*, male quidem, sed proprie tamen sumtis, defendere studuit (1). Eodem modo miraculorum Christi narrationes sumens, in figuratâ earum interpretatione ita versatus est, ut verba ejus, quamvis non omnino probanda, lectori voluptatem afferant (2).

Praeter Litteras Sacras Lactanctio Religionis Christianae cognoscendae fontibus fuerunt *scripta sectatorum* Christi. Ipse igitur sibi cognitos fuisse declarat Theophili libros *ad Autolycum*, Tertulliani *Apologeticum*, Minucii Felicis *Octavium*, Cypriani orationem *in Demetrianum* et multa alia hujus viri scripta (3). Memorat quoque scriptores, qui Religionem Christianam, sed infelici admodum successu ante ipsum defendere conati sunt (4). Porro nominatim excitat Asclepiadem, Divinae Providentiae vindicem in libro ad Lactantium scripto (5): unde num ad caussam suam tuendam nonnihil mutuatus sit, plane incertum est. Neque certo constat, eum aliis scriptoribus Christiani nominis usum esse. Quamquam hoc non improbabile est. Sed credere non possumus, quod non-

(1) *Ps.* XC. 4. vid. *Inst.* VII. 14. p. 933.

(2) *Inst.* IV. 26.

(3) Vid. *Inst.* I. 11. p. 79. c. 23. p. 157. V. 1. 575. sq. c. 4. p. 19. sq.

(4) *Inst.* V. 1. p. 576.

(5) *Inst.* VII. 4. p. 877. ad hunc rursus Lact. duos libros scripsit. Cf. Hieronym. *de vir. ill.* c. 80, quem non intellexit Bünem. ad Lact. l. c.

nonnulli statuunt (1), eum Arnobii libros ad hanc suam scriptionem adhibuisse. Novimus quidem utrumque nonnulla secum mutuo communia habere, sed hujus rei caussa vel in argumenti similitudine ponenda est, vel in eo, quod Lactantius, teste Hieronymo (2), Arnobii disciplinâ usus erat. Uti enim utriusque viri scripta vehementer inter se differunt, ita apud Arnobium praeclara quaedam ad Christi caussam defendendam reperiuntur, quae censendum non est, diligentiam Lactantii, si praesto ipsi fuissent, omissuram fuisse. Attamen ex eo, quod Arnobii libros non memoravit, nihil colligere ausim (3).

Jam vero hoc variorum scriptorum usu Lactantius fecit, ut ex ipsius libris pleraque et praecipua cognosci possint argumenta, quibus caussam Christianam veteres defenderunt. Ipse autem exemplum secutus est Minucii, Cypriani, aliorumque, quos antiquiorum Apologetarum libros plus semel descripsisse, certum est (4). Quod cum multo minus supervacane-

(1) Cf. Bünem. ad *Inst.* II. 2. p. 169. c. 9. p. 238. c. 13. p. 261.

(2) *De vir. ill.* c. 80.

(3) Aliter tamen C. T. G. Schoenemann, *notitia literaria de* Arnobio *Afro*, quam suae Arnobii editioni praemisit Orellius, p. XXI.

(4) Vid. e. g. Minuc. *Oct.* c. 30. sq. coll. Tertull. *Apol.* c. 7. sqq. Sequimur autem vulgarem sententiam, Minucio Tertullianum esse antiquiorem, quam nondum labefactasse nobis videtur J. D. van Hoven in *epist. ad* G. Meermannum scriptâ, quamvis ei assentitur Roessler l. c. T. III. p. 1. sq. p. 397. cff. Balduinus *Dissert. in* M. Minuc. Felic. *Octav.* princ. Tzschirner l. c. p. 75. sqq. Porro quae Cyprianus disputat in libro *de Idolorum vanitate* ad verbum fere leguntur in Minucii *Octavio* et Ter-

 tul-

neum fuit illis temporibus, quam nunc est, quoniam libri in paucorum hominum manibus erant, tum laudem non minuit Lactantii, qui scriptores a se usitatos nominatim excitavit, quod neglexerunt alii. Ceterum, quot et quanta ex traditione eximie ita dictâ acceperit, nobis non liquet.

Exterorum hominum libros pene infinitos Lactantius excitat. Neque hos tamen omnes ipse legit. Sic, ut suam de *Sibyllis* sententiam probet, ad auctoritatem provocat Nicanoris, Euripidis, Chrysippi, Naevii, Pisonis, Apollodori *Erythraei*, Eratosthenis, Heraclidis *Pontici*, sed se eorum notitiam Varroni debere, satis aperte significat (1). Alibi scriptores memorans, sibi haud plane, incognitos Diodorum, Thallum, Nepotem et Cassium, se Tertullianum aut Minucium sequi prodit (2). Neque asseveraverim, si librum aliquem passim laudaverit, hunc ejus in manibus fuisse.

tulliani *Apol* c. 17. 21. ubi etiam reperiuntur, quae Cyprianum in ultimo libri illius capite sibi deberi autumat Tzschirner l. c. p. 284. sq. Quid? quod totum fortasse librum, exceptâ Hermetis *Trismegisti* memoriâ, aliunde repetiisse censendus est. Similiter se ipse descripsit Tertullianus. Cff. libri *ad Nationes* cum *Apologetico*; lib. *adv Jud.* cum III. *adv. Marc.* ad quam ejus consuetudinem nescio, an mentem non attenderit Semlerus, cum hunc *adv. jud.* librum ineptae hominis incerti sedulitati tribuendum esse putaret, *Opp.* Tert. Vol. V. p. 262. sqq. Semlerum secutus est Tzschirner l. c. p. 273.

(1) Vid. L. I. 6. p. 39. sqq. Cf. *De Ira* c. 22. p. 1103.

(2) Vid. L. I. 13. p. 87, ubi a Latinis, quibus additur Varro, distinguuntur Graeci. Cff. Tert. *Apol.* c. 10. *ad Nat.* II. 12. Minuc. *Oct.* c. 22.

se. Sed dubitandum mihi non esse videtur, quin Homeri et Hesiodi carmina, scripta itidem Orpheo, Hermeti *Trismegisto* et *Sibyllis* afficta, nec non ea, quae Hierocles adversus Religionem Christianam scripsisset, auctor oculis inspexerit. Latinos quod attinet, Varrone, Cicerone, Nepote, Livio, Sallustio, Senecâ, Quinctiliano, Domitio usus est, nec non poëtis Lucilio, Lucretio, Plauto, Terentio, Virgilio, Horatio, Ovidio, Propertio, Caesare *Germanico*, Persio, Lucano, Juvenali. Latini multo frequentius ab eo excitati sunt quam Graeci, sive quod eorum lectione instructior erat, seu quod ad Romanos scribebat. Scripta autem Ciceronis, quae ceteris omnibus longe praeponebat, et diurnâ nocturnâque manu versabat, ipsi tam familiaria fuerunt, ut ejus in succum et sanguinem conversa esse viderentur (1).

His igitur libris Lactantius suam debuit philosophiae antiquae cognitionem, et quidem talem, ut nulla secta paulo celebrior ipsi lateret. Sententias videlicet exposuit non tantum Pythagorae, Thaletis, Socratis, Platonis, Aristotelis, Zenonis, Antisthenis, Aristippi, Epicuri, Euclidis, qui singuli familiarum fuerant principes, sed et aliorum vel *Italicae* vel *Ionicae*, vel *Academicae*, vel *Peripateticae*, vel *Cyrenaicae*, vel *Stoicae*, vel *Eleaticae* vel *Epicureae* Scholae sectatorum, ut eos taceam, qui ad certam philosophorum familiam referri nequeunt. Lactantium autem variarum philosophiae partium peritum fuisse, et earum quidem prae-

(1) Vera utique Bellarmini vox est, quam legi apud Rau. l. c. p. 25. auctorem nempe magis peritum fuisse librorum Ciceronis, quam Sacrarum Litterarum.

praecipue, quae ad Dei et animorum naturam, nec non ad mores hominum pertinerent, scripta ejus abunde docent. In *Physices*, quam hodie dicimus, disciplinis eum non admodum fuisse versatum, errores produnt ab eo commissi (1). Sed eum tertiae partis, quae *Dialectica* dicebatur, peritiâ caruisse, non facile credimus (2), neque eum *rationalis artis regulas* aut ignorasse, aut neglexisse, concedere possumus Brückero (3), quamvis eum fatemur in eas nonnunquam peccasse. Nam uti hac culpâ eloquentissimi viri non semper liberari possunt, ita et universa, quam supra proposuimus, harum *Institutionum* series, et sigillatim plurimae earum argumentationes (4) hominem arguunt Dialectices valde peritum. Quam penitus autem philosophiae sive doctrinarum historia tanquam medullis ejus infixa fuerit, ex eo apparet, quod hinc ubivis fere sumsit lumina, quae libris suis adspergeret.

Scriptores exteros Lactantio eorum, quae de veterum et religionibus, et rebus gestis scriberet, haud exiguam partem tradidisse, dicere non opus est. Quantum autem eorum lectione profecerit, ad orationem suam expoliendam, infra ostendemus. Sed hujus loci esse videtur monitum, auctorem ab iis haud pauca mutuatum esse, quibus argumentationibus suis vim adjiceret. Sic ne, vituperandis multorum philosophorum moribus, lectori fraudem fecisse videretur, testes ad-

(1) Vid. e. g. *Inst.* III. 24. et cff. Rau l. c. p. p. 85. sq. Brücker l. c. T. III. p. 468.

(2) Lact. *Nicomediae* Oratoriam profesus est, et, teste Hieronymo *de vir. ill.* l. c. librum scripsit, cui *Grammaticus* titulus fuit.

(3) l. c. p. 466. cui praeivit Rau l. c. p. 62. sq.

(4) Exemplum pete ex *Inst.* II. 5. 200.

adduxit Ciceronem, Nepotem, Senecam (1). Similiter, ut ostenderet Polytheismi superstitione varia scelera inter homines introducta esse, diligenter notavit, quae de seculo aureo in deterius lapso scripserant Cicero, Virgilius, *Germanicus* Caesar (2). Et quomodo hoc veterum usu gravitatem orationi suae conciliare sciverit, praeclarus docet locus, quem neminem legisse poenitebit, ubi crux Gavii cum Christi cruce comparatur (3).

Jam vero hac doctrinae copiâ et ubertate Lactantius non solum libros suos hominibus commendavit exteris, sed etiam sectatores Christi docuit, *scientiam litterarum non modo nihil nocere religioni atque justitiae, sed etiam prodesse quam plurimum* (4). Et nostro quoque tempore hinc multum emolumenti oritur, siquidem in libris ejus reperiuntur, quae nunc ad scripti alicujus veteris originem ostendendam inserviant, nunc ad integritatem loco cuidam restituendam, nunc ad jacturam temporis injuriâ factam quodammodo compensendam. Quod Ciceronis illustremus exemplo. Multa nimirum alia scripta, quae hujus viri nomen gerunt, et orationem *pro Marcello* (5) vulgo ei tri-

(1) Vid. *Inst.* III. 15, Cic. *Tusc.* II. 4. Nepot. et Senec. in fragmentis.

(2) Vid. *Inst.* V. 5. Cic. in *Arato*, cujus fragmenta supersunt. Virg. *Georg.* I. 126. sq. 129. sq. *Aen.* VIII. 320, 327. Ovid. *Metam.* I. 111. Caes. Germ. in *Arato*, *sign. Virginis.*

(3) Vid. *Inst.* IV. 18. p. 507. sq. cf. Cic. *in Verr.* Act. II. L. V. c. 61. sqq.

(4) Sunt verba Lact. L. V. 1. p. 572.

(5) Vid. L. I. 9. p. 54. VI. 11. p. 757. cf. VII. 11. p. 915. ex quo loco apparet, Lactantium *Oratoris* nomine voluisse Ciceronem, qui eodem nomine ab eo dicitur L. III. 14. p. 338. VII. 1. p. 851.

tributam, a se et aequalibus suis pro genuinis habita esse, testimonio suo comprobat. Integritatis loco suo restitutae exemplum nobis sit I. *de Leg.* c. 8, ubi nonnulli legere voluerunt: „ex quo efficitur illud, ut „is se agnoscat Deum, qui unde ortus sit, quasi „recondetur ac noscat," sed Lactantius confirmat, quod vulgo editum est: „ex quo — ut is agnoscat „Deum," cet. (1) Fragmenta autem *Hortensii* (2), *Consolationis* (3), *Academicarum Disputationum* (4), librorum *de Naturâ Deorum* (5) et *de Legibus* (6), Carminum *Arati* (7) et *de Consulatu suo* (8) servavit, in quibus multa sunt magni facienda, quemadmodum illud, quod philosophus iis, quae adversus religiones disputaverat, adjecit: „non illa esse," di-

cens,

(1) Vid. L. III. 10. ibique Bünem. Alia exempla praebebit collatio locorum *Inst.* III. 15. et *Tusc.* II. 4; L. VI. 12. et *Offic.* II. 18; L. VII. 4. et *Acad.* IV. 38. Ceterum haud ignoramus Lactantium plus semel verba Ciceronis memoriter excitasse. (Vid. *Inst.* I. 12. et *de nat. Deor* II. 25; L. III. 17. et *Varr.* act. II. L. IV. c. 31; L. IV. 28. et *de nat. Deor.* II. 28; L. VI. 11. et *pro Marc.* c. 4; L. VII. 2. et *Tusc.* I. 41.) et editionem minus probandam nonnunquam secutum esse. (Cff. *Inst.* II. 6. et *de nat. Deor.* III. 2; L. VI. 6. et *Offic.* III. 4).

(2) *Inst.* I. 7. III. 16. p. 351. VI. 2. Vulgo quoque huc refertur L. III. 16. p. 349. quem locum libris *de Repub.* vindicat Ill. Maj. p. 119, 223.

(3) *Inst.* I. 5, 15. III. 14, 18, 19, 28.

(4) *Inst.* VI. 24. et, uti putant, L. III. 14.

(5) *Inst.* II. 8 p. 220, qui locus pertinere videtur ad Lib. *de nat. Deor.* III. cui multa desunt. Ad eundem librum locus, *Inst.* II. 3. a multis quoque refertur.

(6) *Inst.* III. 19. V. 8.

(7) *Inst.* V. 5.

(8) *Inst.* III. 17. Verba quoque Ciceronis excitantur *Inst.* VII. 8. quae unde sumta sint ignoramus.

cens, „vulgo disputanda, ne susceptas *publice* reli-„giones disputatio talis extinguat" (1). Et silentio mittere nefas sit, libros ejus *de Republicâ* a Lactantio frequenter usitatos esse, et quidem ita ut aliorum locorum verba describeret (2), aliorum sensum suis verbis, auctore non excitato, exprimeret (3), aliorum denique exhiberet argumenta (4). Atque hac suâ diligentiâ nuper Cl. Majum de scriptionis veritate in Codice Vaticano ab eo repertae certiorem fecit (5), multorumque locorum ibi non expressorum aut verba (6) aut argumentum ei commonstravit (7), uti et haud ra-

(1) *Inst.* II. 3.

(2) *Inst.* V. 12. ubi locus excitatur, cujus pars tantum in Cod. Vatic. apparuit, *de repub.* III. 17. Adde loca, quae infra citantur not. 6.

(3) Cff. *Inst.* I. 15. et *rep.* I. 41. II. 10; L. II. 5. et *rep.* I. 14; L. VI. 10. et *rep.* I. 25; L. VII. 8. et *rep.* VI. 25. quibus locis ab Ill. Maj. collatis forte addi meretur *Inst.* II. 3. p. 177. col. *rep.* VI. 24. p. 326. Nescio, an improbanda sit sententia Ill. Maji comparantis *Inst.* I. 1. et *rep.* III. 3; l. c. c. 15. L. V. 9. et *rep.* I. 43; L. II. 1, 2. et *rep.* III. 2; l. c. c. 3. et *rep.* I. 23; L. III. 3. et *rep.* I. 10; l. c. c. 11. L. V. 21. et *rep.* III. 12; L. V. 17. et *rep.* III. 8.

(4) Cff. *Inst.* III. 16. et *rep.* I. 2; L. V. 14. et *rep.* I. 27; L. VI. 9. et *rep.* I. 2. vid. et not. 7.

(5) Vid. loca adhuc citata.

(6) Vid. *Inst.* V. 12. *rep.* III. 17; L. VI. 8. *rep.* III. 22. E sententiâ Ill. Maji l. c. p. 119, 223, 274. ad eosdem libros referenda sunt loca, quae excitantur *Inst.* III. 16. p. 349. L. V. 11. p. 622.

(7) Cff. *Inst.* I. 18. et Ill. Maj. l. c. p. LIII; L. II. 10. et *rep.* IV. p. 273; L. III. 14. *rep.* III. 3. et inprimis L. V. 14. 16, 18, 22 et *rep.* III. 6, 15, 19, 20, 28. Quibus adjiciendum putaverim L. VI. 24. p. 846. ubi Ciceronis commemoratur sententia, quae proxime accedit ad

 fra-

raro viro huic doctissimo copiam praebuit probabiliter, quid Cicero tractasse censendus esset, conjiciendi (1).

fragmentum (*rep.* III. 22.) ab ipso Lact. conservatum L. VI. 8. Sed num vocabulum *fons* apud Lact. l. c. p. 346. recte intellexerit Ill. Maj. l. c. p. 271. dubitandum esse videtur.

(1) Cf. Vir Ill. l. c. ad *rep.* II. 41. et *Inst.* VI. 17, 19; ad l. c. c. 43. et *Inst.* VI. 2. ad L. III. 13. et *Inst.* VI. 6. 9. ad L. IV. 5. et *Inst.* III. 21. sq. item p. 330. et *Inst.* I. 9. Quae monet vir ingenii et doctrinae laude conspicuus ad *rep.* III. p. 215. sq. coll. *Inst.* VI. 10. VII. 4. II. 1. III. 10. V. 17. VII. 3. III. 28. ad lib. c. c. 22. coll. *Inst.* III. 1. V. 5. ad L. IV. p. 271. coll. *Inst.* VI. 20—24. ad L. V. 6. coll. *Inst.* VII. 3. probare non ausim. Certe non immerito significavit Cl. Villemain, suae edit. *de repub.* T. II. p. 9. hanc rationem esse arbitrariam.

PARS

PARS ALTERA.

DE INSTITUTIONUM DIVINARUM LACTANTII ARGUMENTO.

Exposità adhuc universà *Institutionum Divinarum* Lactantii ratione, nunc progrediamur ad *argumentum* horum librorum examinandum. Quo in negotio ita versabimur, ut *primum* agamus de auctoris disputatione ad exteras religiones evertendas, *secundo*, de veterum philosophorum, quam scripsit, reprehensione, *tertio*, de Religionis Christianae expositione ab eo factà, *quarto*, de scriptà ab eo demonstratione, hanc Religionem veram esse et divinam.

CAPUT I.

DE DISPUTATIONE LACTANTII AD EXTERAS RELIGIONES EVERTENDAS.

Disputatio Lactantii *ad exteras religiones evertendas* quomodo se habeat, jam ex serie libri I. et II. (1) su-

(1) Adde, quae Auctor in libro V. et VI. passim monuit. Antiquorum autem Apologetarum disputationes eodem fe-

supra propositâ colligi potest. Sed ut eam clare et perspicue exponamus, judicioque submittamus, de rebus huc spectantibus sigillatim dicere oportet.

Incipiamus igitur ab iis, quibus Lactantius *pravas exterorum hominum de Diis suis sententias* refellere conatus est. Statim ab initio operis sui, atheis sibi relictis (1), gravissimam tractat quaestionem, *utrum potestate unius Dei mundus regatur, an multorum* (2). Hoc gentium autumabat superstitio, illud si probaretur, Deorum, qui dicebantur, religio cadebat. Jam vero, ut lectoribus persuaderet, unum tantummodo esse Deum, auctor ad notionem Dei *omnipotentis*, *aeterni*, *perfectissimi*, nec non ad hujus mundi adspectabilis magnitudinem et concentum provocavit, et quidem eodem fere modo, quo illud hodieque fieri solet. Sed cum haec argumentatio vulgi superaret captum, non incommode Lactantius suam ratiocinationem illustravit imaginibus et regis, qui totius orbis habeat imperium, et ducis, cui uni totus exercitus subjectus sit, et mentis, quae omnes corporis sensus et affectiones gubernet (3). Quamvis autem fatemur hanc argumentationem non tantum valere, ut nullus ei contradicendi supersit locus, attamen aucto-

fere consilio institutas exposuerunt C. F. Eisenlohr, *de argumentis ab apologetis Sec. II. ad confirmandam relig. Christ. veritatem ac praestantiam contra gentiles usurpatis, in Sylloge Comment.* edit. a D. J. Pott et G. A. Ruperti, Vol. II. p. 135. sqq. et Tzschirner, l. c. p. 379. sqq. Vid. et de Tertulliano vir vener. J. A. Coenen l. c. p. 31. sqq.

(1) Vid *Inst.* I. 2. Cf. Minuc. c. 18. Eos datâ operâ auctor refutavit in libris *de Ira Dei*, et *de Opificio Dei*.

(2) *Inst.* I. 3. cff. *Epitom.* c. 2. *de Ira Dei* c. 11.

(3) *Epitom.* et *de Ira Dei* l. l. c. c. auctor plures adhibet imagines, sequens Minucium Octav. c. 18.

ctorem recte ostendisse putamus, Polytheismum magnis premi difficultatibus, siquidem necesse sit, Deos, si plures sint, et singulos aliquid velle, quod aliis non placeat, ex qua re disceptatio inter eos et certamen oriri debet, et finitae esse perfectionis et potestatis. Neque immerito homines, qui ad hujus mundi et formationem et regimen plures Deos requiri perhibeant, aut, si unus sit, istius beatam scilicet rideant solitudinem, perversis de naturâ et potestate divinâ opinionibus in errorem induci contendit; quamquam concedere non ausim, admonitionem ejus de innumeris ministris, qui faciant, ne Deus solitarius sit, bene cogitatam esse (1). Ceterum hoc in loco Lactantius, ubi, ut saepe alibi, Tertullianum, Minucium, Cyprianum sequitur (2), recte tamen ab his in eo discedit, quod exteros homines, memorando more, qui illis usitatus erat, in numero singulari de Deo loquendi, non refellere conatur (3). Deum enim non volebant O. M.; sed Jovem, aliumve, quem in mente habebant. Improbandum igitur est, auctorem se alio loco induci passum esse, ut oratorem magis, quam philosophum agens Polytheismi sectatoribus hunc loquendi usum objiceret (4).

Praeter argumenta adhuc commemorata, Lactantius ad demonstrandum, unum esse Deum, primum *Litteras Sacras V. T.* laudat, nullum tamen ejus locum nominatim excitans (5). Secundo *poëtarum veteres*

(1) L. I. 7. p. 45. sq.

(2) Vid. Tert. *Apol.* c. 17. *adv. Marc.* I. 2. sqq. Minuc. l. c. c. 18. Cyprian. *de idol. vanit.* c. 5.

(3) Cff. praeter l. l. c. c. Tert. *de test. anim.* c. 1, 2. *ad Scapul.* c. 1. *adv. Marc.* I. 10. Eisenl. l. c. p. 162. Coenen l. c. p. 103. sq.

(4) L. II. 1.

(5) L. I. 4.

terum nonnulla affert loca, Orphei nempe, Virgilii et Ovidii; Homerum vero et Hesiodum praetermittit, alterum eorum ajens hanc rem attingere non potuisse, quoniam humana potius quam divina conscriberet, alterum, qui deorum generationem exponeret, potuisse quidem, sed non fecisse (1). Quis vero ignorat, in Virgilio quoque et Ovidio ad hanc caussam frustra praesidium quaeri, neque ab Orpheo profecta esse, quae illi tribuantur? Quamobrem Tertullianus hoc argumentum nobis non omnino temere sprevisse videtur (2). Tertio, ut *philosophos* unum Deum agnovisse ostendat, sententias exponit Thaletis, Pythagorae, Anaxagorae, Antisthenis, Cleanthis, Anaximenis, Chrysippi, Zenonis, Aristotelis, atque Platonis, quibus adjungit Ciceronem et Senecam (3). Sed monendum est, plerosque horum virorum vel propius accessisse ad Pantheismum, quam ad Ecclesiae Christianae sententiam, vel etiamsi melius sentirent, sibi ipsos minus constitisse. At vel sic tamen negari nequit, inter hos philosophos fuisse, qui Deum esse statuerent Diis geniisve superiorem, ceteros vero supersti-tio-

(1) L. I. 5. Cff. Virg. *Georg.* IV. 221, sqq. *Aeneid.* VI. 724. sqq. Ovid. *Metam.* I. princ. — Homeri locis *Iliad.* B. 204. I. 445. sq. 493. Σ. 238. sqq. 483. sqq. sed temere utitur Justin. M. *Cohort.* p. 17, 22, 23, 27. De spuriis Orphei aliorumque versibus egit Valckenaer, in diatribe de *Aristobulo Judaeo*, Lugd. 1806.

(2) *De test. anim.* c. 1.

(3) l. c. cff. *Epitom.* c. 4. *de Ira Dei* c. 11. Justin. M. *Cohort.* p. 4. sqq. p. 20. Athenag. *Deprec.* p. 6. sqq. in *edit. Oper.* Just. *Paris.* 1636. Tert. *Apol.* c. 21, 46, 47. Minuc. l. c. c. 19. Arnob. II. 9. et inprimis Cic. *nat. Deor.* I. 10. sqq. et loca a Lact. citata.

tionem certe plebejam rejecisse (1). Quarto denique Lactantius, excitatis, quae per se quidem egregia, sed Mercurio *Trismegisto* temere afficta sunt (2), ad *Sibyllarum* progreditur testimonia, veri quidem Dei laudem continentia, sed itidem spuria (3). Quibus adjungit, ipsum dixisse Apollinem, se esse daemonem, Deo O. M. longe inferiorem (4). Sed nescio, an auctor ad ipsum referat Apollinem, quae ad ejus spectant sacerdotes, ne dicam, appellationem *daemonis* minus recte ab eo intellectam esse. Ceterum dolendum est, Lactantium, aeque atque alios Apologetas, ad verba provocasse eorum, quos superstitionum auctores fuisse, omnibus persuasum esset.

Si non plures sunt Dii, Deos non esse sequitur Jovem, Apollinem, ceteros. Nec tamen supervacanea erat disputatio, *Deorum nomine esse indignos, qui ita dicerentur.* Primum igitur Lactantius ostendit eos homines fuisse, neque optimae quidem notae (5). Cum autem de singulis dicere non possimus,

(1) Cf. Cl. Praeceptor van Hengel, in disput. *adversus* Eberhardum, opp. Soc. Teyl. Theol. T. XXVI. p. 216. sqq.

(2) L. I. 6, 7. cff. L. IV. 8. 13. *Epitom.* c. 4. *de Ira Dei* c. 11. Justin. M. *Cohort.* p. 37. Cyprian. l. q. c. 4.

(3) L. I. 6, 7. *Epitom.* c. 6. *Carmin. Sibyll.* L. I. 7. p. 151. vs. 15. sqq. p. 152. vs. 38. sqq. p. 155. vs. 85. sqq. p. 159; L. VIII. 375. p. 392. Edit. Opsopaei *Paris.* 1599. cff. Just. M. *Cohort.* p. 16. Theoph. *ad Autol.* II. p. 112. sq.

(4) L. I. 7. apud Opsopaeum, in *Oraculis metricis*, quae editioni *Sibyllin.* sunt addita p. 6, 54, 56.

(5) L. I. 9—14. *Epit.* c. 7. sqq. Antiquorum Apologetarum loca vid. apud Ejsenl. p. 135. sqq. Tzschirner. p. 180 sqq Coenen, p. 36. sqq.

mus, de Jove eum disputantem audiamus. Huc igitur redit ejus oratio: „Jupiter a pueris impius et paene parricida fuisse deprehenditur, et solio paterno per vim occupato, victisque Titanibus, vitam in stupris et adulteriis consumsit. Virgines imminuit, Amphitryonis ac Tyndari domos dedecore atque infamiâ plenissimas reddidit, et quod summae impietatis ac sceleris est, regium puerum rapuit ad stuprum. Haec qui fecit, videamus an *Maximus* sit; certe *Optimus* non est. Stultus autem M. Tullius, qui C. Verri adulteria objiciebat, Jovem vero, qui idem perpetraverat, colebat; qui P. Clodium incestûs accusabat, non vero *Optimum* illum *Maximum*, cui eadem et soror erat et conjux. — Regnare in coelo Jovem vulgus existimat. Eundem tamen Saturno et Rheâ genitum confitentur. Non est ergo, ut ait poëta, *hominum rerumque repertor*. Ante ejus ortum enim infinita fuerunt hominum millia. Video alium Deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Ergo Jupiter regnum amittere potest, sicut pater ejus amisit. Hanc ob caussam unâ Thetide se abstinuit, non virtute aliquâ, sed metu successoris, quae formido utique ejus est, qui mortalis sit et imbecillus. — Ipse furto servatus furtimque nutritus, ζεὺς sive ζῆν adpellatus est, quod primus ex liberis Saturni maribus *vixerit*. Potuerunt igitur homines alium Deum habere rectorem, si Saturnus non fuisset ab uxore delusus. Antiquarum denique rerum scriptores Jovem in *Cretâ* mortuum atque sepultum esse tradiderunt. Quomodo igitur potest Deus alibi esse vivus, alibi mortuus; alibi habere templum, alibi sepulchrum? Sciant ergo Romani, Capitolium suum, id est, summum caput religionum publicarum, nihil esse aliud, quam inane monumentum (1). Jovem ita-

(1) L. I. 10, 11.

itaque et ex rebus gestis, et ex moribus, et e morte hominem fuisse rectissime Lactantius arguit, ducem sequens Ennium, Euhemeri interpretem (1). Poetas autem, quotquot idem traderent, non humana Diis affinxisse, sed rebus, quas illi gessissent, ornandi tantum caussâ, quaedam adjecisse monet. Quod haud male illustrat exemplo sortitionis, quâ Jovi coelum, Neptuno mare, Plutoni orcus obtigisse dicebatur (2). Ratio vero Stoicorum, qui fabulas ad allegorias trahebant, quam arbitraria et temeraria esset, breviter commonstrat, sed tamen animadverti jubet, qui hos philosophos sequerentur, ipsos Polytheismum funditus evertere (3).

Jam nunc viam persequens Lactantius inquirit, quomodo factum sit, ut homines illi Dii dicerentur. Hoc igitur factum esse monet, aut propter virtutis excellentiam, aut adulatione, aut beneficiorum gratiâ, quae genus humanum illis deberet. Quam suam sententiam tum Ciceronis auctoritate confirmat (4), tum exemplis et aliorum illustrat populorum, et Romanorum, qui Romulo (5), nec non Caesaribus ho-

(1) L. I. 11. p. 73, 77. Cf. c. 13. p. 87. sq.

(2) L. I. 11. p. 67. sqq. cff. c. 9. p. 56. c. 19. p. 120. *Epit.* c. 11. sq.

(3) L. I. 12, 17, 21. cf. Arnob. III. 29. sqq. V. 32. sqq. Passim quoque Lact. ad Hermetis et *Sibyllarum* testimonia provocat. Vid. L. I. 8, 11, 14, 15. Cff. Just. M *Cohort.* p. 16, 17, 36. Athenag. l. c. p. 33. Theoph. l. c. p. 113. sq. *Carm. Sibyll.* I. 36. sq. p. 155. L. III. 48. sqq. p. 224. sqq. vs. 483. sqq. p. 260. L. VIII. 37. sq. p. 367. Sed hoc obiter monuisse sufficiat.

(4) *De nat. Deor.* II. 24. III. 19. *de leg.* II. 8. *Tusc.* I. 13. et *Consolat.* fragm. Lact. memorat quoque libros *de Republicâ* et *de Gloriâ*, inter alia respiciens *de rep.* II. 10.

(5) Vid. L. I. 15. p. 95. 101. sq. Auctor sequitur Cic.

de

honorem divinum tribuerant, caritatem quoque vel gloriae cupiditatem, nec non poëtarum carmina in voluptatem hominum composita, ad superstitionem propagandam multum contulisse, probabiliter disputat (1). At vero exterarum religionum sectatores, Deos ex hominibus factos esse, statuebant, aut virtutis, aut munerum, aut artium repertarum gratiâ. Quos Lactantius refellit, ostendendo Herculem, aliosque belli duces multo minus virtute, quam caedibus et sceleribus excelluisse, Cererem autem, Liberum, Aesculapium, Vulcanum honore affici, qui et aliis munerum datoribus artiumque inventoribus negetur, et uni debeatur Deo, rerum omnium conditori et gubernatori (2). Hac autem in disputatione auctor minus meminisse videtur, gentes a Diis suis superioribus inferiores distinxisse, sed satis tamen luculenter probavit eorum venerationem, adeoque Polytheismum cum pietate veri nominis constare non posse (3). Rectissime quoque demonstravit *multa de Diis dici solere indignissima:* homicidam e. g. Martem adulterium commisisse cum Venere, Jovem futuri nescium, fatoque

de rep. I. 41. II. 10 unde nunc tandem novimus Ursinum verum vidisse, cum Ennii versum ita scriberet, *o Romule, Romule die* cf. Ill. Maj. l. c p. 105.

(1) l. c. p. 95. sqq. Ciceronis autem verbis e *Consolatione* non omnino temere utitur Lact. quamvis ea ex Ciceronis dolore, filiae mortem lugentis, explicanda esse facile concedimus Cl. Villemain, edit. suae *de repub.* T. II. p. 218.

(2) L. I. 18. ubi p. 115. versus *Ennii* adducitur, quem Lact. vitiose scripsisse videtur, editores vero e Senec. ep. 108. ita emendarunt; *si fas endo* cet. Codd. Lugd. 26, 28. 38. *b.* 38. c. 142. *cedendo*, 38. *a. caedendo*, in Cod. autem 26, manu sec. *occidendo.* Num forte Lact. scripsit *caede endo?*

(3) L. I. 19.

que subjectum esse, superorum alios esse mares, alios feminas, utrosque autem fortunae volubilitatem passos esse, eorum denique in contubernium recipi, quotquot suo arbitrio in coelum transtulerint homines (1).

Postquam Lactantius, et unum esse Deum, et Deos non esse, qui vulgo dicerentur, ostenderat, animalium cultu, quo aliae tenebantur gentes, praetermisso (2), disputatis nonnulla adjunxit *de propriis Romanorum religionibus.* Quarum ut eluceret vanitas, recensuit, qui hac in gente divino honore colebantur, ut ceteros praeteream, Lupam, Faulam, Floram, Venerem porro *Calvam*, Jovem *Pistorem*, Sterculum, Mutinum, nec non Pavorem et Pallorem, Rubiginem ac Febrim, Honorem atque Virtutem, quorum igitur pars vitae turpitudine detestanda, pars omnium risui et ludibrio exposita, pars denique extra mentem humanam nulla erat. Risit quoque, qui supplicationibus publicis adibant Terminum, rudem scilicet atque informem lapidem (3). Quod optimo jure ab eo factum esse, quis quaeso inficietur? — In disputatione vero *de elementis*, quae ab eo in Lib. II. instituta, sed a nobis huc referenda est, duo notanda videntur: alterum, auctorem Polytheismum cum Hylozoismo, qui dicitur, quodammodo confudisse, alterum, eum rerum physicarum scientiâ minus instructum fuisse. At vel sic quidem suo docuit exemplo, qui probabili Religionis Christianae cognitione imbutus sit, de rebus divinis plus sapere solere, quam viros in artibus ac disciplinis versatissimos, qui hac luce care-

re-

(1) L. I. 8, 10, 11, 15, 16, 17.

(2) Cf. L. II. 5. III. 20. V. 20. Tert. *Apol.* c. 16. *ad nat.* I. 11. II. 8, 15. Minuc. l. c. c. 29.

(3) L. I. 20. *Epit.* c. 20.

reant. Videlicet, ut neque hunc mundum universum, nec singulas ejus partes in Deorum numero habenda esse efficeret, non solum hunc errorem ortum esse commonstravit, ex ineptâ rerum adspectabilium admiratione et stupore, sed etiam argumentis niti ex minus explorato siderum cursu, minusque perspectâ mundi naturâ petitis, quin et ad absurda tandem ducere, et quae sibi nullo modo constent (1). Similiter eodem in libro II. divinum reprehendit honorem, qui *simulacris* tribuebatur, et partim quidem argumentis utens, quibus Hebraeorum vates jam pridem usi erant, partim vero nonnulla iis adjiciens, unde illum in ipsos Deos injurios m et omnino puerilem esse appareret (2).

Ad exteras religiones evertendas Lactantius secundo *de ritibus sacris ad Deorum venerationem pertinentibus* disputat, et quidem ita ut primum increpet *horrendam sacrorum immanitatem.* Prudenter autem et populorum et temporum varietates distinguens, non tantum barbaras gentes Deos suos sanguine humano placare studuisse monet, sed ne Latinos quidem, ipsosque adeo Romanos, qui mansuetudinis et humanitatis gloriam sibi vindicarent, ab hac crudelitate se abstinuisse, indiciis ejus adhuc superstitibus, nec non Varronis auctoritate comprobat. Deinde *sacrorum* et *insulsitate* notatâ et *turpitudine*, homines ridet, qui in sacris faciendis agunt, quae quis in

(1) L. II. 5. *Epit.* c. 26. cf. Tert. *ad nat.* II. 3. sqq.

(2) L. II. 2. sqq. *Epit.* c. 25. Cyprian. autem *Testim. ad Quir.* III. 59. *Exhort. Mart.* c. 1. eodem consilio S. L. loca excitat. Verba autem Persii, quibus utitur Lact. l. c. p. 186. minus intellexit C. G. Hergt, *des* L. C. Lactantius *Religionsunterricht aus dem Lateinischen übersetzt*, edit. Quedlinb. 1818. p. 143.

in ludendo agens, nae lascivus et ineptus esse videatur (1). Quibus auctor in secundo, nec non in sexto libro adjicit, *sacra illa vana esse et nullius frugis.* Deum enim nec esurire, nec sitire, nec lucernis indigere, nec manubiis spoliisve hostium delectari; hominibus vero nihil emolumenti afferre sacrificia, supplicationes, et contemplationem simulacrorum, poculorum, vestimentorum aliorumque, quae Deorum in templis hominum oculos ad se allicerent (2). Quamvis autem a plebe superstitiosâ diligenter distingui debent sapientiores viri, qui Deos mente purâ et inculpatâ colendos esse tenuerunt, bene tamen Lactantius Romanorum religionibus ceremoniarum multitudinem et pompam objecit, siquidem omnium temporum docet experientia, sacrorum splendorem, eheu! efficacissimum esse, ad inducendos homines, ut ritus externos cum verâ confundant pietate (3).

Atque haec nos tanquam manu ducunt ad tertiam Lactantii disputationem, quâ religiones veterum evertere conatur, et quae huc redit; *tantum abesse, ut religiones illae ad emendandos hominum animos ullam vim habeant, ut vitia et scelera varii generis pepererint et parere pergant.* Quod quidem tractat in libro V. Mores igitur Romanorum aliorumque

(1) L. I. 21. *Epit.* c. 23. Praeter alios cf. Arnob. II. 68. V. 5. sqq. 16.

(2) L. II. 6. VI. 1, 2, 25. *Epit.* c. 58. Ceterum de ritibus religionum veterum egregie disputat Arnob. Libb. VI, VII.

(3) Aliter Ill. Maj. ad Cic. *de rep.* II. 14. p. 155. Nemini autem mirum videbitur Antonium *Raudensem* et Becanum l. l. c. c. Lactantio in vitium vertisse, quod exteros homines rideat, candelarum et cerarum lumen Diis suis accendentes.

que populorum perditissimos esse monens, his inter alia utitur verbis: „ex illorum numero semper exi-
„stunt, qui vias obsideant armati, maria praedentur,
„vel si palam grassari non licuit, venena clam tempe-
„rent; qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur,
„aut maritos, ut adulteris nubant; qui natos ex se
„pueros strangulent, aut si nimium pii fuerint, ex-
„ponant; qui libidines incestas nec a filiâ, nec a
„sorore, nec a matre, nec a sacerdote contine-
„ant; qui adversus suos patriamque conjurent; qui
„nec culeum metuant; qui denique sacrilegia com-
„mittant, et deorum, quos colunt, templa dispo-
„lient; et ut, quae levia sunt, atque illis usitata,
„dicamus, qui hereditates captent, testamenta sup-
„ponant, justos heredes vel auferant, vel exclu-
„dant; qui corpora sua libidinibus prostituant; qui
„denique immemores, quid nati sint, cum feminis
„patientiâ certent; qui sanctissimam quoque corpo-
„ris sui partem contra fas omne polluant et pro-
„fanent; qui virilia sua ferro metant, et quod est sce-
„leratius, ut sint religionis antistites; qui ne vitae
„quidem suae parcant, sed extinguendas publice ani-
„mas suas vendant; qui, si judices sedeant, aut im-
„meritos perdant mercede conducti, aut noxios impu-
„ne dimittant; qui coelum quoque ipsum veneficiis
„appetant, tanquam illorum malitiam terra non ca-
„piat (1)." Horum autem scelerum multa ex legum auctoritate vel usu vulgari commendationem nacta esse, et nullo plerumque censore et castigatore fieri, auctor docet, haud pauca etiam in ludis publicis tanquam pabulum sibi invenire (2). Gentes vero ita depravatas fuisse, non tantum Seneca, Luci-

(1) L. V. 9.
(2) L. VI. 20, 23. *Epit.* c. 63.

ciliusque, ad quos Lactantius provocat (1), et similes scriptores veteres, sed etiam Apologetae confirmant, qui, etsi ab invidiae suspicione liberari nequeunt, attamen tot et tanta scelera et flagitia hominibus exteris affinxisse neutiquam censendi sunt (2). Neque vulgi tantum mores a virtutis honestate alienos fuisse, auctor arguit, sed viros quoque sapientiores vitiositatis patrocinium suscepisse (3). Uti etiam Virgilium, cum *pium* suum Aeneam captivos trucidantem, seque sanguine eorum, quibus parcere juberet pietas, commaculantem induceret (4). Et Romanorum feritatem satis prodi furore illo, quo et plebs ipsa, et provinciarum praesides et judices unà cum sacrorum antistitibus in sectatores Christi saeviissent (5).

Sed quid haec ad exteras religiones evertendas? In promtu est, quod cum auctore respondeamus. Nimirum dubiis vacare, quin Polytheismus varia scelera et flagitia generi humano pepererit (6). Deinde hanc ejus naturam esse et indolem, ut hujus pravitatis caussa non esse non possit. „Quomodo", inquit, „san-„guine abstinebunt, qui colunt cruentos Deos, Mar-„tem atque Bellonam? quomodo aut parentibus „par-

(1) L. V. 9. p. 614. sq.

(2) Eorum loca vid. apud Tzschirn. p. 408. Coenen, p. 97. sqq. adde Tert. *ad nat.* I. 7. Cyprian. *ad Demetr.* p. 200. edit. Rigalt. Paris. 1666. Arnob. II. 38. sqq. quorum tamen consilia a Lactantii consilio fuerunt diversa.

(3) L. V. 14. sqq. *Epit.* c. 55. sqq. cff. VI. 14. sqq. cl. Vid. annot. ad disputat. Viri Vener. Seltenreich in Opp. Soc. Hag. novis, ann. 1816. p. 368. sq.

(4) L. V. 10.

(5) L. V. 9, 11, 12, 13, 19, 20. *Epit.* c. 52. sqq.

(6) L. V. 5. sq. *Epit.* c. 59. sq.

„ parcent, qui expulsorem patris sui Jovem? aut „ natis ex se infantibus, qui Saturnum? quomodo „ pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam, adul- „ teram, et quasi apud Deos prostitutam? Quomodo „ se a rapinis et fraudibus abstinebunt, qui Mercu- „ rii furta noverunt, docentis non fraudis esse deci- „ pere, sed astutiae? Quomodo libidines coërcebunt, „ qui Jovem, Herculem, Liberum, Apolli- „ nem ceterosque venerantur; quorum adulteria et „ stupra in mares et feminas non tantum doctis nota „ sunt, sed exprimuntur etiam in theatris, atque can- „ tantur, ut sint omnibus notiora? Possuntne inter „ haec justi esse homines, qui etiamsi naturâ sint „ boni, ab ipsis tamen Diis erudiantur ad injustiti- „ am?" (1). Ita Lactantius de Deorum exemplis. Quod autem praeterea opportune disputat, ad ostendendum, religionum ritus, cum virtuti et pietati non prodessent, iis nocuisse, supra jam vidimus. (2).

Lactantius denique, ut exteras religiones plane everteret, *argumenta* quoque impugnavit, quibus multi eas tueri conabantur. Nimirum religionum suarum *vetustatem* jactantes, impios in majores esse dicebant, qui eas destruere vellent, poenisque severis coërcendos (3). Quibus ut occurreret auctor, tum variarum religionum, quae vel a Melisseo, vel a Jove, vel a Numâ Pompilio aliisve fraudulenter erant institutae, humanam detexit originem (4). Deinde, nota-

(1) L. V. 10. cff. verba *Chaereae* apud Terent. *Eunuch.* III. 5.

(2) Vid. et L. V. 19. p. 675. sqq. cf. Arnob. VI. 24. sqq.

(3) Aliorum loca vid. apud Tzschirn. p. 399. quibus adde Tert. *Apol.* c. 4, 6, 19. *ad nat.* I. 4, 6, 10. Arnob. II. 67. sqq.

(4) L. I. 22. *Epit.* 22, 24.

tatis temporibus, Deorum natales multo quam vulgaris ferret opinio recentiores; ipsumque eorum antiquissimum Saturnum ante annos mille octingentos natum esse, lectoribus suis, Thalli utens testimonio, persuadere studuit (1). Praeterea veram religionem Polytheismo esse antiquiorem, probabiliter disputavit, quamquam improbandum est, quod monuit, Chamum, Noachi filium praecessisse eos, quos veri Dei notitia fugeret (2). Porro sectatores Christi multo minus impietatis accusandos esse ostendit, quam philosophos aliosque, qui religiones avitas contumeliis peterent, et ipsas adeo gentes, quotquot vel multa majorum suorum instituta negligerent, vel sacra aliarum spernerent (3). Quibus adjunxit, nec Romanis antiquissimis hac de re credendum esse, nec decere hominem mente praeditum, ut majoribus suis coecam habeat fidem (4). Rationem autem concludit ita: „quid ergo impedit, quin ab ipsis (majoribus) sumamus exemplum, ut quomodo illi, quae falsa invenerant, posteris tradiderunt, sic nos, qui verum invenimus, posteris meliora tradamus?" (5)

Ar-

(1) L. I. 23. Sequi se dicit Theophilum, quem vid. *ad Autol.* III. p. 138. sq. edit. *Oper. Just.* cit.

(2) L. II. 13. Ceterum fortasse lectori placebit conjectura, quam Cl. praeceptori Hengelio debeo, pro *venerantes*, quod hic p. 261. occurrit, substituendum esse *venantes*. Postea autem vidi, idem jam placuisse Cauco, monente Gallaeo ad h. l. Uti et haec scriptio, addita literâ *f* (*forte?*), legitur in *Variis lectionibus MSS.* quae servantur in Bibl. Acad. Lugd. Bat. et notâ 73. insignitae sunt.

(3) L. V. 19, 20. *Epit.* c. 55.

(4) L. II. 6, 7. Cf. I. 21. minus recte interpretatus est verba Cic. *de Nat. Deor.* III. 2.

(5) L. II. 7. p. 208. sq.

Argumento igitur ex vetustatis auctoritate petito, quo vulgo caussa desperata defendi solet, egregie redarguto, Lactantius progreditur ad disputandum de *prodigiis*, *somniis*, *auguriis*, *oraculis*, quod tamen ipsi minus bene cessit. Lectores enim per longas ambages ducens, Deum omnia condidisse et fecisse disputat, ab hoc vero descivisse genios malos, quos, de eorum principe, naturâ et sceleribus expositâ, suâ sententiâ, miraculorum et vaticinationum auctores esse sumsit, ne illa Diis tribuere cogeretur (1). Hanc autem opinionem multum foviisse videntur Romani ipsi, qui haruspicinam coram Christi sectatoribus exerceri non posse (2), et malos genios Magis nonnunquam fraudem facere querebantur (3). Sed Lactantium hoc errore committendo adversariis suis, ut superstitiones veteres defenderent, arma praebuisse, eo magis dolemus, quo certius constat, eum a rectâ hujus argumenti impugnandi viâ prope abfuisse (4).

Argumentum, quod ex imperii sui magnitudine et gloriâ Romani petierant, Apologetae vero diligenter re-fu-

(1) L. II. 8. sqq. Similiter jam Minuc. c. 7, 26, 27. Cypr. *de idol. vanit.* c. 3. 4. alii apud Eisenl. p. 139. sqq. Tzschirn. p. 401. sqq. Coenen p. 41. sqq. Arnobius tamen, quamquam ille quoque Deos pro geniis malis habet I. 23, ab hoc errore sibi cavit VII. 35. sqq. cf. I. 48. sqq. Nequaquam enim probaverim, quod dicit Roeszler l. c. T. III. p. 351. Arnobium verosimiliter, in loco hodie deperdito, vulgari Apologetarum antiquorum argumentandi ratione usum fuisse.

(2) L. IV. 27. cf. *de mort. persecut.* c. 10.

(3) Vid. Arnob. IV. 12.

(4) Vid. L. II. 14. p. 264. c. 16. p. 272. sqq. ubi Virgilii versus *Aeneid.* I. 19. sq. adducuntur, quos male interpretatus est C. G. Hergt. l. c. p. 221.

futaverant (1), Lactantius, temporibus suis consulens, siléntio praetermisit.

Pervenimus ad hujus capitis conclusionem. Lactantius exteras religiones ex daemonum fraude profectas esse putavit (2), quod, quamquam vereor, ut omnes probaturi sint, satis tamen superque mihi persuasum est, eum harum religionum turpitudinem et vanitatem luculenter demonstrasse. Justissime quoque reprehendit viros liberaliter excultos, qui sui emolumenti caussâ sententiam animi celare, quam vulgus ab erroribus liberare mallent (3). Denique postquam docuit, homine, ceteris animalibus superiore, et mente praedito, nullam aliam religionem dignam esse, quam quae cum unius Dei veneratione conjuncta sit, scilicet Christiana, ad hanc benevole accipiendam lectores adhortatur (4).

CAPUT II.

DE VETERUM PHILOSOPHORUM REPREHENSIONE A LACTANTIO SCRIPTA.

Forte quis ad hujus capitis titulum respiciens, Lactantium putaverit propositi sui minus fuisse memorem,

(1) Vid. Eisenl. p. 139. Tzschirn. p. 399. Coehenp. 45. sq.

(2) L. II. 14. 17.

(3) L. II. 3.

(4) L. II. 17, 18. de quâ Lactantii peroratione iniquius nobis judicare videtur Brucker. l. c. T. III. p. 351. cff. *Inst.* II. 1, 5. *Epit.* 25. *de irâ Dei.* 7, 20.

rem, qui, cum Religionis Christianae caussam suscepisset, veterum quoque philosophorum reprehensioni integrum constitueret *Institutionum* Lib. III. (1). Sed monendum est, auctorem se non temere opposuisse hominibus, qui una cum superstitionibus omnem rejicerent doctrinam divinam, philosophiam veterum ad bene beateque vivendum sufficere jactantes (2). Quod praecipuum ejus fuisse consilium, probe tenendum est, ne mentem ei tribuamus ab eo alienam, quamvis negari nequit, eum nonnunquam ita locutum esse, ut aliud sibi proposuisse videretur (3). Antiquos autem philosophos reprehendens, eorum, qui recentiori memoriâ novas sectas condiderant, ne mentionem quidem fecit, seu, quod eos sigillatim refutare opus non erat, si quidem in eandem atque veteres philosophi incurrerent reprehensionem, seu, quod in Oriente maxime florentes, apud Romanos, ad quos praecipue Lactantius scribebat, minorem celebritatem nacti erant, seu denique, quod eorum placita auctori minus erant cognita. In judicandâ autem auctoris disputatione nos ita versabimur, ut duo inquiramus, alterum, quid in philosophis antiquis reprehenderit, alterum quomodo hoc fecerit.

Lactantius *Philosophiâ* studium illud voluit sapientiae (4), quo viros praestantes inde ab antiquissimâ memoriâ excelluisse novimus, sed eodem nomine eorum disciplinas denotavit (5). In antiquis philosophis ve-

(1) Quocum cff. L. I. 2. II. 5, 8, 10, 11. VI. 5. sqq. 12. sqq. al. cf. et Rau, *de philosophiâ* Lactantii saepius cit.

(2) Vid. L. III. 11, 30. cf. IV. 1. sqq. al.

(3) L. III. 1.

(4) l. c. c. 2.

(5) c. 4, 6, 15, 16.

veri cognoscendi voluntatem laudat, sed eos spe suâ excidisse, quin et, dictione e Litteris Sacris petitâ, cogitationes eorum stultas esse dicit (1). Videlicet in eâ fuit opinione, omnia, quae cognoscantur, hominibus extrinsecus per corporis sensus obtingere, deque rebus intelligibilibus nihil sciri posse, quam quod divinâ patefactione cum hominibus communicetur (2). Cui opinioni primâ quidem fronte repugnare videntur loca, ubi auctor, quamvis Pythagoram et Platonem ad Judaeos non accessisse, adeoque Litteras Sacras iis fuisse incognitas, recte videret (3), multa tamen ipse comprabavit eorum, quae a philosophis de Deo et animo humano sunt disputata. Sed animadvertendum est, illos, e Lactantii sententiâ, nonnunquam casu fortuito, vel conjiciendo in verum incidisse, nonnunquam vero velut *spiritu instinctos*, paene divina protulisse (4). Porro philosophos veteres non tantum coecos et insipientes, sed ne studiosos quidem sapientiae fuisse dicit, siquidem nemo eorum ad sapientiam pervenerit (5). Cujus conclusionis probitatem asseverare non ausim. Cum autem philosophiam contendit linguae exercendae caus-

(1) c. 1, 3.

(2) c. 1, 3, 15, 16. cff. II. 3. VII. 2, 3. Plura dabit Rau l. c. p. 36, 67. sqq.

(3) L. IV. 2. cf. VII. 1. Merito propterea eum laudat Brucker l. c. p. 470. De Justini M. aliorumque sententiâ Vid. Rosenmuller, *Hist. Interpr.* T. I. p. 151. sqq. p. 225. Munscher l. c. T. I. p. 193. Tzschirner l. c p. 415. sqq. quibus adde clar. H. N. Clausen, *Apologetae Ecclesiae Christianae ante-Theodosiani* Platonis *ejusque philosophiae arbitri.* Hauniae 1817. p. 186. sqq.

(4) L. III. 18. VI. 8. VII. 1. Poëtas plura e L. S. per traditionem accepisse monet auctor L. II. 10. VII. 22. Sed non memini illud ab eo de philosophis quoque perhiberi.

(5) L. III. 2, 9, 16, 25.

caussâ, vel delectandi studio ante aliquot secula fuisse repertam, et propterea necessario periisse, a philosophis vero, pravitate ingeniorum, veritatem magis turbatam, quam illustratam fuisse, eorumque impudentiam et stultitiam vehementer Deo displicere (1), se prodit veram philosophiae notionem non percepisse, et viris de genere humano meritissimis injuriam facit. Neque audiendus est, ubi diabolum philosophantium errores peperisse, et qui philosophos sequantur, aeternas daturos esse poenas perhibet (2). Sed magis probari meretur, quod dicit, philosophos valde a se invicem discrepasse (3). Eos ignorantiam suam saepe fuisse testatos (4), ad hanc vitam terrestrem fere omnia retulisse (5). Plures eorum, cum dissolute viverent, ipsos disciplinae suae detraxisse pondus (6). Philosophiam, quae paucis tantummodo hominibus conveniat, divinâ auctoritate careat, neque vim magnam in hominum animos exerceat, longe esse postponendam religionis doctrinae divinitus hominibus traditae (7). Unde quidem cum auctore elicere nolumus, omnem philosophiam esse abjiciendam (8); quod ne ipsum quidem fecisse satis constat. Sed utinam omnes vocem ejus audivissent, confugiendum esse ad Deum, qui unus verae saepientiae auctor sit (9).

Ut per partes eamus, veterum *Physicam* Lactantius meris constare monuit conjecturis, et multo minus utilem esse, quam ad homines delectandos comparatam (10). Sed non meminisse videtur, doctrinam de Deo

(1) l. c. c. 1, 3, 6, 16. cf. L. VI. 10.
(2) l. c. c. 13, 29. cf. L. VI. 4.
(3) l. c c. 4, 7. al. (4) c. 1, 14, 28.
(5) c. 9 sqq. (6) c. 9, 15, 16.
(7) c. 25. sqq. (8) c. 13, 15, 16.
(9) c. 8, 30. (10) c. 3, 7, 8, 13.

Deo et animorum naturâ, quae maximi ponderis est, ad hanc pertinere philosophiae partem, et physicam multa continere ad vitam hominum omnino necessaria, quae ipse, tanquam aliud agens, obiter notavit (1). Opiniones quoque philosophorum, de solis, lunae et terrae naturâ satis imprudenter risit, et ipse se ridiculum fecit, disputando adversus eos, qui antipodas esse vestigiis nostris contrarios dicerent (2). Uti et inepte stultitiae, impudentiae, atque impietatis accusat, qui in rerum naturalium caussas inquirunt (3). At vel sic tamen non omnino temere se iis opposuit, qui de corporibus aethereis ita loquebantur, ac si ipsi de coelis profecti essent, et minoris faciebant disciplinam *moralem*, quâ non inmerito dixit totius philosophiae vim contineri (4). Hanc autem laudans, turpissime philosophos veteres in eâ errasse arguit. Quod expositione et refutatione illustrat eorum, quae Epicurus, Aristippus, Zeno, Aristoteles aliique de summo bono statuerunt. Qui scilicet omnes non viderint, hanc esse summi boni naturam, ut solius sit hominis, et ad animum tantum referendum, neque cuiquam sine scientiâ et virtute contingere queat. Hoc enim si intellexissent, eos autumat immortalitatem, i. e. beatitatem aeternam, pro summo bono habituros fuisse (5). De *dialecticâ* quidem, quippe quae ad vitam bene instituendam nihil conferret, disputare recusavit. Neque tamen eam parvi fecit, sed e contrario tanti habuit, ut et homines ejus studiosos laudaret, et se ipse ad exemplum eorum componeret (6).

Ita Lactantius de veterum philosophiâ. Sed operae pretium est, ejus quoque de praecipuis philosophis co-

gno-

(1) c. 5.
(2) c. 23, 24.
(3) c. 3, 20.
(4) c. 3, 5, 7, 13, 20.
(5) c. 7—13.
(6) c. 13. cff. quae supra monuimus p. I. c. 2.

gnoscere judicium. Pythagoram laudat, quod primus se modesto *Philosophi* nomine dixerit, iniquius vero increpat, quod animos nova deinceps corpora subire opinatus est, adeoque ante multa secula se Euphorbum fuisse (1). Socrati itidem, quod auditoribus suis morum praecepta dare, quam de rebus arcanis cum iis disputare maluit, justam tribuit laudem. Ubi vero hunc virum praeclarum multa, quae reprehensione digna essent, protulisse, et morti proximum superstitioni serviisse dicit, eumque conviciis acerbissimis petit, non tantum ferus et inhumanus est, sed plane meminisse negligit, philosophum, qui Polytheismi tanquam atrâ caligine viveret, doctrinae divinae lucem videre non potuisse (2). Platonis haud pauca placita variis in locis recensuit, et quidem ita ut alia eorum probaret, alia vero rejiceret (3). Sed prorsus non intelligimus, quo jure hunc philosophum autumaverit, doctrinâ suâ, animos esse immortales, plures homines ad mortem voluntariam adegisse, et voce ejus, se gratias agere naturae, primum quod homo, deinde, quod mas et Graecus, postremum, quod civis Atheniensis et temporibus Socratis natus esset, delirius nihil dictum fuisse. Rerum vero et feminarum, quam ille laudaverat, communionem auctor, quamvis vereor, ut mentem philosophi bene ceperit, non omnino temere notavit (4). Similiter se recte op-

(1) c. 2, 14, 18, 19. cff. I. 5. IV. 2. VII. 9, 12, 23. quibus addendum videtur VI. 3.

(2) c. 3, 6, 13, 20, 28. cff. II. 14. V. 14. Socraticam, quae dicitur, disserendi methodum, quippe argutam, improbat VI. 17.

(3) I. 5, 8. II. 10, 14. IV. 4. V. 14. sqq. VI. 25. VII. 1, 3, 7, 8, 14. cf. clar. Clausen in disquisit. supra laud passim.

(4) L. III. 18, 19, 21. sq. cf. Clausen l. c. p. 141. sqq.

opposuit Arcesilae, nihil sciri posse statuenti. Quod ita fecit, ut eum in aliorum placitis refutandis, quam suis confirmandis feliciorem fuisse perhiberet; ceterum *Academicam* disciplinam viro sapiente prorsus indignam esse dicens (1). Aristotelis notavit sententiam, virtutem cum honestate conjunctam summum esse bonum. Quem sibi non constitisse, cum alibi Lactantius monet, non valde reprehendendus est, siquidem ille mentem suam obscuris verbis involverit (2). *Peripateticos* generatim in definiendâ affectionum animi naturâ a vero propius abfuisse judicavit, quam *Stoicos* (3). Quorum principem Zenonem, erroribus ejus acerbius exagitatis, pro *furioso* habuit, nonnulla tamen hujus viri dicta comprobans, eumque *virtutem interdum somniare* scribens (4). Ita et placita sectatorum ejus alia laudavit, vituperavit alia, sed aegre tulit, eos praecipere, quod naturae humanae contrarium esset, multosque eorum manus sibi intulisse violentas (5). Senecam vero, cujus et testimonio saepe utitur (6), et ingenii acumen praedicat (7), multa doctrinae divinae similia scripsisse monet, sed equidem nescio, an sensum in ea importaverit a philosophi mente alienum (8).

Rec-

(1) l. c. c. 4. sqq. 28. cf. VII. 7.

(2) L. III. 8. cff. I. 5. II. 10. V. 14, 17. VI. 15. sq. VII. 1. Fuerunt, qui dicerent, auctorem primas detulisse Aristoteli, sed cf. Rau p. 50. sq.

(3) L. VI. 12. sqq.

(4) L. III. 4, 7, 8, 23. cff. I. 5. IV. 9. VII. 7.

(5) L. III. 18. cff I. 2. II. 5, 10. VI. sqq. VII. 3, 7.

(6) L. I. 5, 7, 16. II. 2, 4, 8. III. 12, 15, 16, 23. V. 13, 22. VI. 17, 24, 25. M. Senecam denotari L. VII. 15. ex fragmento nuper invento collegit Ill. Majus, quem vid. l. c. p. 149.

(7) L. I. 5, 7. II. 8.

(8) L. I. 5, 7. II. 8. VI. 24.

Rectius percepit mentem Epicuri, omnia fortuito facta esse et mutari, animum cum corpore exstingui, voluptatem animi pro summo bono habendam esse (1). Quod jure suo improbans, hunc philosophum astutum dicit et stultum, quo sano et vigente nullus aeger ineptius deliraverit, ejus autem disciplinam ex eo ortam esse, quod bonis hominibus saepe adversa, improbis vero prospera omnia obtingerent (2). E contrario hujus viri probat sententias, Deum esse aeternum, et hunc mundum adspectabilem semel ortum et aliquando periturum esse (3). Brevitatis caussâ mittimus, quae de Aristippo, Democrito, Xenophane aliisque auctor disputavit (4). Sed verbo memorandum est, Lactantium, quamvis in Ciceronis erroribus non conniveret, et in eum nonnunquam vehementer inveheretur, hunc tamen laudasse, quod variis e philosophorum disciplinis, quae sibi meliora viderentur, elegisset, seque, Platonem imitans, Romanis philosophiae ducem praestitisset (5). Unde apparet, eum inter fautores philosophiae maxime Eclecticae collocandum esse, quod haec itidem ejus docent verba: „quod „si exstitisset aliquis, qui veritatem per sectas dif- „fusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, „is profecto non dissentiret a nobis (6).“

Quae

(1) L. I. 2. II. 8. III. 7, 8 et 17, ubi eum *turpissimae voluptatis adsertorem* satis inique dicit, notante praeter alios Rau, p. 124, 140.

(2) L. III. 17, 25.

(3) L. III. 12, VII. 1, 3, 5.

(4) Vid. Rau p. 120. sqq.

(5) L. I. 2, 5, 15, 17. II. 3, 8. sqq. III. 1, 14, 25, 28. sq. VI. 8. sqq.

(6) L. VII. 7. Alii auctorem in Scepticis numerant, uti Brücker p. 466. neque negari potest, quae de scientiâ hu-

Quae adhuc vidimus de placitis philosophorum veterum a Lactantio reprehensis, quodammodo jam declarant, quomodo hac in reprehensione versatus sit. Hinc enim primum intelligimus, eum haud raro acerbius increpasse, quae leniter notari debuissent; commenta volumus falsa quidem, nec tamen admodum metuenda. Deinde satis aperte prodidit, se errores, quos hominum inscitia peperisset, vel imprudentia, distinguere nescivisse a studio pravi et scelesti per societatem propagandi. Praeterea vero philosophorum sententias saepe ita interpretatus est, ut se eorum mentem plane non cepisse manifestaret, et summam iis faceret injuriam. Cujus generis est illud, quod ex Aristotelis sententiâ, virtutem cum honestate summum esse bonum, sequi dicit, virtutem esse posse inhonestam (1). Vocem autem Socratis, *quod supra nos, nihil ad nos*, cum ad religionem evertendam tendere opinaretur, non vidit, philosophi hanc esse mentem, a rebus occultis philosophiam avocandam et ad vitam communem esse adducendam, quod viri egregii consilium auctor ipse magnopere laudaverat (2). Argumentis porro, quibus philosophos refelleret, plus semel usus est malis et improbandis, quo argutiae inprimis pertinent, quibus valde delectatus est. Ita philosophiam constare dicit scientiâ et opinatione, illam autem cum Socrates et post eum Academici sustulissent, haec vero a Zenone ejusque sectatoribus fuisset

humanâ disputat L. III. 3. sqq. ad Scepticorum placita prope accedere, sed cf. Rau p. 46. sq.

(1) L. III. c. 8.

(2) l. c. c. 20. Similiter Anaxagoram, se natum esse dicentem coeli ac solis videndi gratiâ, non vidit idem voluisse, quod ipse saepius praecepit. Vid. c. 9, 12, 13. cf. II. 1, 18. VI. 1. Rau p. 141.

set repudiata, philosophiam nullam esse concludit (1). Neque melius se habet argumentatio: cum propter philosophorum lites et discordias electione opus sit, philosophiam nobis non esse necessariam, si quidem sapientes jam simus, qui de sapientum sententiis judicemus (2). Quid? quod contra placita, quae sibi spernenda videbatur, ubi ea diligenter refutare debebat, rhetorum tantum more declamasse deprehenditur. Postquam e. g. risisset eos, qui antipodas esse dicerent: „at ego," inquit, „multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse, ut coelum terrâ sit „inferius," (hoc enim ex illorum sententia sequi opinatur) „nisi liber jam concludendus esset" (3). Disputandi denique ardore se nonnumquam eo abduci passus est, ut ipse in perversas incideret opiniones. Scientiam victûs tantummodo, voluptatis vel gloriae caussâ, virtutem vero non propter se, sed propter vitam beatam, quae eam necessario sequatur, expetendam esse contendit, ut scilicet scientiam pro summo bono non esse habendam, sed istud in immortalitate cerni ostenderet (4). Jam vero quae notavimus, nos eo adducunt, ut assentiamur Brückero, (5) Lactantium talem non fuisse, qui satis tuto cum philosophis disputare posset. Quorum doctrinam cum ipse auctor suspexerit, et se metuere ingenue professus sit, ne difficiliorem suscepisset disputationem, quis quaeso affirmabit eum tantummodo animi levitate et gloriae captandae studio ad illud accessisse negotium (6)? Sed dif-

(1) c. 3, 4. (2) c. 7.
(3) c. 24. (4) c. 8, 10.
(5) l. c. p. 466. sq.
(6) Vid. L. II. 19. III. 1. al. quae loca utique parum congruunt reprehensioni, quam Lactantium incurrere autumavit. Rau p. 11. sq. al.

diffiteri nefas sit, in auctoris disputatione plura esse, quae probari omnino mereantur. Quod jure meritoque a nobis dici nemo inficiabitur, qui meminerit, quae supra enarravimus. Sed ut uno alterove utamur exemplo, satis acute monuit, Academicos et Physicos similem commisisse errorem, cum hi ex iis, quae aperta essent, argumentum peterent, omnia sciri posse, illi vero e rebus obscuris argumentarentur, nullam esse scientiam (1). Summo jure, quae mentis humanae imbecillitate superiora sint, cogitando non quaerenda, sed divinitus accipienda esse monuit (2). Et, ut caput concludamus, quamvis miro quodam modo vera cum falsis, egregia cum ineptis commiscuerit, eum tamen luculenter demonstravisse putamus, philosophiam veterum ad bene recteque vivendum neutiquam sufficere.

CAPUT III.

DE EXPOSITIONE RELIGIONIS CHRISTIANAE A LACTANTIO IN MEDIUM PROLATA.

Disputatione utrâque superiori praeparatis lectorum animis, nunc Lactantius *Institutionum* Libro IV, nec non VI et VII (3), in exponendâ Religione Christia-

(1) L. III. 6.

(2) l. c. c. 1, 9, 13, 16, 19. al.

(3) Quibus adjungimus loca, ubi auctor datâ opportunitate religionis doctrinam exposuit. Consuluimus autem non sine utilitate Münscher *Handbuch*, supra cit. et Berthold *Handbuch der Dogmengeschichte* Erlang. 1822.

tiamâ datâ operâ versatur, ita tamen, ut hoc cum negotio defensionem ejus conjungat. Quomodo auctor religionem exposuerit, verbis ejus, quoad fieri potest, nobis enarrare lubet.

Quemadmodum igitur nemo, ita fere Lactantius, tam rudis est, quin Deum esse intelligat, sic quisque paulo sapientior intelliget esse unum (1). Ille, quia solus est, praeter appellationem *Dei*, nomine caret (2). Nos vero Deum et *patrem* appellare debemus, quia omnia condidit, et nobis multa ac magna largitur, et *dominum*, quia omnia regit, et vitae ac necis veram et perpetuam habet potestatem (3). Deum autem mentem dicimus aeternam, eandemque perfectae et consummatae virtutis (4), vel vim illam, cui et providentia excogitandi inest, et solertia potestasque faciendi (5), vel etiam artificem hujus mundi, ab ipso mundo caute distinguendum, neque pro mente mundi habendum (6). Porro virtus et substantia est spiritualis, corpore carens, nec oculis aliove corporis sensu comprehendendus, sed quem mente tantum intueri oportet (7). Neque tamen nullam habet *figuram*; nam homo, qui ad divinae imaginis formam factus est, vultu utitur cum Deo communi (8). Summam incolit regionem

i.

(1) L. I. 2. sqq. VII. 9.

(2) L. I. 6. II. 16.

(3) L. IV. 3, 4. cff. L. 7. II. 16. IV. 28. V. 18. VII. 27. Fortasse L. I. 6. p. 38. pro *Deum et patrem* scribendum est *dominum et patrem*.

(4) L. I. 3. (5) L. II. 8.

(6) L. II. 8. III. 28. VII. 3.

(7) L. II. 1, 5. VII. 3, 9, 21.

(8) L. II. 8, 10. V. 8. VII. 5. cff. *Epit.* c. 70. *de Ira Dei* c. 2, 7, 11, 18. *de opif. Dei* c. 8. aliorum loca excitavit Münscher. l. c. V. I. p. 397. sqq. Mirum utique hunc Lactanctii errorem fugisse et alios et Anton. *Raud.* uti et Rau p. 104. sq.

i. e. coelum, quippe omnibus superior (1). Cum autem ante eum nihil fuerit, ipse ante omnia ex se ipso est procreatus, et ideo talis est, qualem esse se voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus, beatus, aeternus (2). Praeterea nulli rei subjectus, omnium potentissimus, idemque indulgentissimus et aequissimus (3). Vehementer vero errant, qui Deo et alios affectus et iram denegant (4). Deus denique fons est bonorum, et in ipso vel ex ipso sunt omnia; nam si quidquam ante illum, vel ab illo non factum fuisset, Dei et potestatem et nomen amitteret (5). Quidquid igitur magnitudinis, potestatis, virtutis majestatisque Polytheismi sectatores in multis posuerint, id totum in unum conferendum est (6). Neque tamen fieri potest, ut virtus Dei aestimetur, aut magnitudo perspiciatur, aut principium comprehendatur; sed homini sufficit, si Deum esse intelligit, cujus intelligentiae vis et summa haec est, ut suspiciat et honorificet communem parentem generis humani, et rerum mirabilium fabricatorem (7).

Hic autem Deus Optimus Maximus, secundum Lactantii sententiam, antequam mundum conderet, produxit similem sui spiritum, quem *filium* nuncuparet. Is non ex connubio ac permistione feminae alicujus procreatus, sed *sermo* Dei est, i. e. spiritus cum voce aliquid significante prolatus, quem Deus in effigiem, quae proprio sensu ac sapientiâ vigeat, comprehendit. Hunc

(1) L. II. 1, 5, 9, 17.

(2) L. I. 7, 8. II. 8. IV. 13.

(3) L. I. 1, 3. II. 5, 8. IV. 3. V. 7. 22. 23. VI. 12. 24. VII. 2, 21, 27, alia loca.

(4) L. II. 17.

(5) L. II. 8. VI. 6. (6) L. I. 3.

(7) L. I. 3, 8. II. 5. 6.

Hunc solum Deus divini nominis appellatione dignatus est, pollentem scilicet patriâ virtute et majestate, eâque tantâ, ut et consilio ejus et manibus pater uteretur in fabricatione mundi. Melius itaque graece λόγος, quod et *sermonem* significat et *rationem*, quam latine *verbum* sive *sermo* dicitur. Nomen ejus ipsi soli ac Deo patri notum est, neque humano ore enuntiari potest; inter homines vero Jesus, alio vocabulo inter angelos dicitur (1). Hunc igitur filium suum primogenitum Deus delabi jussit e coelo et tanquam hominem nasci. Ut autem summo Deo patri per omnia similis existeret, adeoque ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ fieret, mater corporis ejus virgo est sine patre, quemadmodum pater spiritûs ejus Deus sine matre. Fuit itaque et Deus et homo, inter Deum atque hominem medius constitutus, unde μεσίτης appellatur (2). Ipse nunquam se Deum dixit, cumque ita fidem patri datam integram servasset, atque nihil sibi assumsisset, et sacerdotis perpetui dignitatem, et regis summi honorem, et judicis potestatem, et Dei nomen accepit (3). Cum vero dicemus Deum patrem et Deum filium, unum Deum utrumque appellamus. Pater enim sine filio nuncupari, et filius sine patre generari nequit (4). Pater quasi fons est, filius tanquam rivus, ille tamquam sol, hic quasi radius. Filius autem in patre est, quia pater diligit filium; et pater in filio, quia voluntati patris fideliter filius paret. Quidquid est in patre, ad filium transfluit, et quidquid in filio, a patre descendit.

(1) L. II. 8. IV. 6, 7, 8, 9.

(2) L. IV. 11, 13, 25. (3) L. IV. 14.

(4) Anton. *Raud.* et Beconus l. l. c. c. ad errores Lactantii retulerunt, quod dixit, filium facere patrem vero facere filium. Sed non intellexerunt haec verba, quae recte interpretatus est, Roeszler l. c. p. 393.

dit. Itaque mens et voluntas alterius in altero est, vel potius una utrique mens, unus itidem spiritus, una substantia. In summo igitur ac singulari Deo, qui ipse est origo rerum, simul et filius et omnia continentur, neque ille nisi per filium coli potest (1).

Non tantum in locis supra excitatis Lactantius filium Dei spiritûs nomine dicit, sed etiam ubi spiritum Dei per vates antiquos locutum esse (2) et virginem, cujus corpori se insinuaret, elegisse monet (3). Spiritus vero sancti, quem praeter patrem et filium colimus, ne ullam quidem mentionem in libris ejus me reperire memini. Unde suspicio oritur, auctorem, ut scripsit Hieronymus (4), hunc spiritum pro personâ, quae dicitur, non agnovisse.

Postquam Deus (ut auctoris sententiam exponere pergamus) filium suum fecisset, fecit et alterum, cui, ne malum ab ipso Deo proficisceretur, ad mala excogitanda dedit ingenium et astutiam, eumque secum contendere voluit, utrum ipse plus bonorum daret, an ille plus malorum. Hic igitur filio Dei primogenito invidens, suo arbitrio, quod a Deo liberum acceperat, ex bono ad malum transscendit, et a Deo ut malus abdicatus, maloque praefectus est (5). Deinde per filium suum Deus multos genuit ministros, qui ἄγγελοι, sive *nuntii* vocantur. Hi autem *spiritus taciti* ex Deo pro-

(1) L. IV. 29. Auctor non sensisse videtur patrem et filium numero esse unum. cff. Munscher. T. I. p. 503. Bertholdt. T. II. p. 118.

(2) L. IV. 11, 18, cf. c. 6.

(3) L. IV. 12. adde. c. 15.

(4) *Epist.* 65. ad *Pammachium*, et *in Gal.* c. 4. Nonnulli autem putant Lactantii sententiam non intellectam fuisse ab Hieronymo. Vid. Tillem. l. c. p. 355.

(5) L. II. 8, 9, 17.

prodierunt, et aequales omnes apud Deum fuere. Eorum principes Deus constituit filium suum et alterum illum spiritum, omniumque illorum operâ in mundo condendo usus est (1). Hi genii cum omnes essent unius, sed repugnantis naturae, eorum pars altera Deo usque serviit, eumque metuere pergit (2), altera post efformatum mundum, a Deo deficiens, mulierum amore capta, vitiis et Diabolo se tradidit, qui non tantum illos, sed et primos generis humani parentes ad peccandum pellexit (3). Qui vero ex istis geniis procreati sunt, neque angeli erant, neque homines, sed mediam quamdam naturam gerebant, et Diabolo dediti terrae adhaeserunt (4). Jam vero naturae illae perversae, quarum princeps est Diabolus, homines, ut pravitatis et miseriae suae socios habeant, a cultu Dei et notitiâ avertere student, variisque artibus utuntur, ut iis noceant. Nam non tantum, cum sint spiritus tenues (5) et incomprehensibiles, corporibus se insinuant, morbos excitant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, sed etiam cum dispositiones Dei praesentiant, et futura multa noverint, oraculis et prodigiis edendis, magicis praeterea artibus, aliisque fraudibus, falsa cum veris miscentes, hominibus Polytheismi aucto-

(1) L. II. 8, IV. 6, 8. Auctor geniis coelestibus, quantum memini, nusquam corpus diserte tribuit; immo quemadmodum *corporibus* opposuit *spiritus*, ita genios incorporales esse significat L. VII. 21. quocum tamen conciliari nequeunt, quae iis tribuit L. II. 14. Uti autem ne Deo quidem omnem denegavit *formam*, sic quoque genios pro naturis aethereis habere videtur, vid. L. II. 12. cf. Rau l. c. p. 96.

(2) L. I. 7, II. 8, 16. VII. 21.

(3) L. II. 1, 8, 12, 14.

(4) L. II. 14.

(5) In interpretatione Germanâ supra cit p. 214. forsan editoris culpâ legitur *dumme Geister*.

ctores et suasores existunt, sibique nomen et cultum Deorum vindicare conantur (1). Tantum autem abest, ut Dei cultoribus nocere valeant, ut ab his, nomine Dei appellato et crucis signo frontibus imposito, fugentur, et daemones se esse profiteri cogantur (2). Quare mirum non est, eos in Christi sectatores odio ferri, hominesque sibi subditos, ut illos persequantur, instigare (3). At vero aliquando cum principe suo scelerum suorum luent poenas, et in conspectu angelorum atque hominum proborum perpetuo igni cremabuntur in aeternum (4).

Jam porro Deus, sic fere auctor, omnia fecit ex nihilo, adeoque priusquam formam mundi faceret, materiem quoque ex eo, quod non erat, praeparavit (5). Primum autem fecit coelum, luminibusque distinxit, tum terram fundavit, porro animalia ut fierent imperavit, tandem fecit hominem (6), in quo efformando maxime suam sapientiam reddidit conspicuam (7). Mundum non suâ, sed animantium caussâ, condidit, ceteros animantes vero propter hominem, hunc ut vitae suae auctorem coleret (8). Uti vero mundus aliquando

(1) L. II. 14—16. cf. et I. 7. Multi putant Paulum quoque 1 Cor. X. 20. daemones pro superstitionum habuisse auctoribus, uti Bertholdt T. I. p. 65. de quo loco Vid. cl. Praecept. van Hengel *Annot. in loca nonnulla Novi Test.* p. 167. sqq.

(2) L. II. 15. IV. 27.

(3) L. V. 21.

(4) L. VII. 21, 26.

(5) L. II. 8.

(6) L. II. 9, 10. V, 115.

(7) L. II. 10. cf. liber *de opificio Dei*, nec non *de irâ Dei* passim.

(8) L. VII. 4, 5. Unde apparet Bertholdt, l. c. T. II. p. 151. neque omnino temere, neque tamen accurate Lactantio sententiam tribuisse: mundum a Deo hominum

do cepit initium, ita et aliquando finem habebit (1). Deus, qui omnia condidit, ea quoque regit et sustentat (2), ministerio utens geniorum coelestium (3). Res quoque humanas procurat, et quamvis haud raro iniqua esse videatur bonorum terrestrium distributio, ut probi homines in miseriis sint, improbi e contrario omnibus bonis abundent, sapientissimis tamen consiliis in moderatione rerum humanarum Deus utitur, quod non tantum exemplo sectatorum Christi et aliorum hominum docetur (4), sed etiam si attendimus animum ad rationem, quâ Deus in permittendo malo morali agit. Nimirum voluit, mundum constare rebus inter se contrariis atque discordibus. Coelum v. c. luminibus distinxit, tenebras constituit in terra; orienti opposuit occidentem, meridiei septentrionem; diem quoque fecit et noctem, calorem itidem et humorem: quarum rerum alterae Dei sunt, alterae pravo illi antitheo, i. e. diabolo attribuendae. Jam vero Deus malum non exclusit, ut mala cum bonis pugnarent, ut vitia essent adversa virtutibus, haberet alios, quos puniret, alios, quos honoraret. Quid? quod ne vel ipsa virtus, nisi malum adsit, esse potest (5).

Quae

caussâ esse conditum; quod non omnia complecti, quae Deus in mundo condendo sibi proposuisse censendus est, quisque videt. Uti et auctorem mundi non satis amplam habuisse notionem.

(1) L. VII, 1.

(2) L. II. 8. VII. 3. Auctor saepissime de providentiâ divinâ locutus est, ubi Dei existentiam, quam dicimus, in mente habuit. Vid. e g. I. 2.

(3) L. II. 16.

(4) L. V. 21. sqq. Cf. III. 17.

(5) II. 8, 9, 12, 17. V. 7. VII. 5. cf. *de irâ Dei*, 13, 15, 20. Satis manifestum est, auctorem malum *morale* non quidem cum *physico*, quod dicitur, plane confudisse, sed ab hoc illud derivasse, neque utrumque eâ, quâ par erat,

Quae de homine dicit auctor huc redeunt. Homo e rebus diversis ac repugantibus constat; animâ nempe, cujus materia in calore, et corpore, cujus materia in humore est. Hoc autem cum ex terrâ sit et diabolo, servire debet animae, quae a coelo et Deo est (1), animas vero fragilibus et imbecillis corporibus ideo Deus illigavit, ut homines summâ cum difficultate et magnis laboribus, virtute scilicet excolendâ, ad vitam aeternam pervenirent (2). Homo igitur mortalis nascitur, postea vero, cum justitiam sequi coeperit, fit immortalis. Beatitudo enim aeterna non sequela natu-

erat, diligentiâ a se invicem distinxisse, quod fecisse Tertullianum monet Bertholdt. t. II. p. 158.

(1) Divinam animi humani originem auctor praedicat L VII. 12. Ceterum opinionis, animos diu ante corpus a Deo fuisse creatos, quam nonnulli auctori affingunt, nullum apud eum reperi vestigium. Immo contrariam sententiam probat L. III. 18. *de opif. Dei*, c. 19. Certe L. II. 10. non dixit Deum in principio rerum innumerabiles animas procreasse, uti praeter alios verba ejus intellexit Anton. *Raud.* l. c. sed procreare constituisse. Recte itaque Bunem. ad h. l. opinionem istam auctori temere affingi monet, sed parum sibi constat, alibi eam ipse Lactantio tribuens. Vid. ad L. VII. 5. p. 880. ubi *spiritibus* Dei, recte interpretatur *spirationibus*. Roeszler autem l. c. p. 412. de filio Dei aliisque naturis caelestibus minus bene cogitavit, auctori tribuens, quod si ille voluisset, sine dubio scripturus fuisset *per spiritus suos*.

(2) L. II. 9, 12. VII. 5. cf. *de opif. Dei*, 16—19. Quamvis auctor animam corpori opposuit, eam tamen a materie liberam esse non putavit. Nonnulli dixerunt homini a Lactantio tres partes, corpus, animum, et spiritum, fuisse tributas. Sed vide Bunem. ad *Inst.* III. 12. p. 332. quem fugisse videtur locus *de opif. Dei* c. 18. ubi auctor se, quid hac de re statueret, dubitasse non obscure significavit. Sed recte monuit Munscher l. c. p. 93. eum alibi de duabus tantum hominis partibus locutum esse. cf. et Rau l. c. p. 97.

terrae, sed merces praemiumque virtutis est (1). Anima corpori, quocum nascitur, non adstringitur ita, ut libertate careat virtutis aut vitiositatis eligendae (2). Hanc si illi praetulerit, post corporis mortem erit quidem superstes, sed aeterna supplicia patietur (3). Hominem vero naturâ suâ ceteris animalibus praestare satis certum est, cum ipse Deus corpus effinxerit, et animam ei infuderit (4), adeoque ad imaginis sui formam hominem e limo terrae figuraverit (5), unde factum, ut homo et mentem atque vultum cum Deo haberet communem (6), et coelum intueretur (7). Jam vero hominem Deus posuit in Paradiso, ut arborum fructibus aleretur, et expers omnium laborum Deo patri summâ devotione serviret. Sed postquam diabolus ei persuaserat, ut vetitum cibum sumeret, expulsus mortique subjectus est. Cum autem mortales peccatis se tradiderant, tantum non omnes diluvio perierunt, a quo tempore hominum vita ad centum et viginti annos est redacta, vera religio deseri coepta, peccata et miseriae increbuerunt (8). Nemo, quamdiu indumento carnis oneratus est, sine delicto esse potest, si quidem corporis infirmitas triplici modo domi-

(1) L. VII. 5. cff. II. 12. III. 12, 13. 19. VII. 12.

(2) L. VI. 3, 4.

(3) L. II. 12. III. 19. VII. 14. al.

(4) L. II. 11. Videtur auctor hominis excellentiam in eo posuisse, quod non a filio Dei, sive geniis coelestibus sed ab ipso Deo efformatus sit. cf Theoph. l. c. a Munschero V. II. p. 124.

(5) L. II. 10. (6) L. II. 10. V. 8. VII. 5.

(7) L. II. 1, 2, 3, 17. 18. III. 10, 12, 20, 27. IV. 1. V. 19. VII. 5, 9.

(8) L. II. 12. sqq. V. 5, 6.

minio peccati subjacet, factis nempe, dictis et cogitationibus (1).

Deus autem, ut in enarrandâ Lactantii sententiâ pergamus, cum videret, impios Deorum cultus et scelera per orbem terrarum ita invaluisse, ut ipsius nomen ex memoriâ hominum pene sublatum esset, filium suum, principem angelorum, voluit homini similem fieri, eumque legavit ad homines, ut mentibus eorum a stultitiâ ad sapientiam, ab iniquitate ad virtutem avocatis, eos ad cognoscendum verum Deum adduceret. Veruntamen eum non misit in virtute angeli aut potestate coelesti, sed in figurâ hominis et conditione mortali, ut traderetur in manus impiorum, mortemque susciperet (2).. Multa jam ante secula haec omnia futura esse, Israëlitis (3), qui legem divinam per Mosen acceperant, divinitus annuntiatum erat. Qui etsi a lege divinâ aberravissent, neque admonitû per prophetas ad Deum reverti vellent, Deus tamen, quippe clemens et pius erga suos, filium suum ad eos misit, ut daret iis liberam facultatem sequendi Deum. Sed noluit eum mittere coelesti majestate conspicuum, ut Judaei ignorantes, duos ejus adventus a prophetis esse praedictos, in errorem maximum inducerentur, ac

(1) L. VI. 13. alia loca. Auctor igitur humanae pravitatis causam in corpore maxime posuit cf. II. 12. p. 253. sqq.

(2) L. IV. 10, 11, 14.

(3) Lactantius eos appellat Judaeos, hoc nempe in errore versans, qui cum Mose ex Aegypto egressi in deserto Arabiae commorarentur, pro veteri Hebraeorum nomine, quoniam princeps examinis eorum Judas esset, nomen Judaeorum accepisse. Satis vero constat, hanc appellationem genti demum datam esse, postquam ex captivitate Babylonicâ, duce maxime tribu Judae in Palaestinam rediisset. Sed plura falsa h. l. auctor cum veris commiscet, e gr. Judaeos inde a Cyri tempore usque ad Herodem tetrarchas habuisse.

ac poenas pro facinoribus suis luerent, cum dominum ac Deum suum repudiassent (1). Venit igitur Christus, Deus et homo, ex utroque genere permistus, ne si Deus tantum fuisset, exempla virtutis hominibus praebere non posset, aut si homo tantum fuisset, auctoritate et virtute careret, quâ homines cogeret ad justitiam (2). Docuit itaque homines justitiam, virtutis iis et exempla et incitamenta praebuit, miracula quam plurima edidit, legem Dei ex divinâ voluntate solvit, et veram religionem a Judaeis ad exteras gentes transtulit (3). Sed acerbissima quaeque mala his in terris subiit; cum si beatissimus fuisset, nemo sapiens illum aut Deum credidisset, aut honore divino dignum judicasset. Judaeorum scilicet primores et sacerdotes irâ constimulati, invidiâ depravati, et (quod caput sceleris eorum erat), stultitiâ et errore coecati, consilium ejus interficiendi inierunt, eumque crucis supplicio affecerunt (4). Uti autem omnia, quae ille fecit et passus est, figuram habuerunt et magnam significationem, ita morte multatus est, ut constantiae et patientiae praeberet exemplum, et inferos quoque vinceret ac resignaret, et morte per virtutem domitâ, resurgeret, generique humano spem vincendae mortis et immortalitatis afferret (5). Nisi enim mortuus esset aperiri testamentum, i. e. revelari et intelligi mysterium Dei non potuisset. Sed morte pro homi-

(1) L. IV. 10, 11, 16.

(2) L. IV. 13, 23—25.

(3) L. IV. 11, 12, 13, 15, 17, 25. 26. Dicit auctor Christum tinctum fuisse ab Joanne, non ut sua, sed ut carnis, quam gerebat, peccata ablueret, et spiritum Dei formatum in speciem columbae candidae super eum descendisse.

(4) L. IV. 16. sqq.

(5) L. IV. 10, 12, 19, 26.

minibus susceptâ, exteras gentes heredes fecit regni aeterni, abdicatis et exheredatis Judaeis. Quibus in vitam reversus se ostendere prorsus noluit, ne eos ad poenitentiam adduceret (1). Tandem vero ad Patrem profectus regnum coeleste et sempiternum adeptus est, unde Christus vocatur, quemadmodum Jesus, quia omnibus gentibus salutifer venit (2). Uti autem semel venit, ut unum Deum gentibus annuntiaret, ita in terram aliquando, ut regnet, redibit (3). Homines itaque, qui antea, caeci et tanquam carcere stultitiae inclusi, ignorantes Deum et veritatem, in tenebris sederant, illuminati ab eo sunt, qui eos testamento sub adoptavit, et liberatos malis vinculis, atque in lucem sapientiae productos in haereditatem regni coelestis adscivit (4).

Plus semel Lactantius monet, nullam spem immortalitatis datam esse hominibus, nisi in Christum crederent, et huic vitae terrestri renuntiantes ad cultum verae religionis se instituerent (5). Sed de ratione, qua quis salutem per Christum consequatur, pauca tantum dicit. Nimirum uno lavacro omnem aboleri malitiam (6); animorum emendationem unius Christi deberi praeceptis, qui, uti hac in terrâ vivens, corporibus salutem et integritatem restituerit, ita quoque animos ad vitam aeternam adducat (7). Porro ex ejus sententiâ, qui ad peccatum imprudenter labuntur, veniam sperare possunt. Qui scientes peccant, ve-

(1) L. IV. 20.
(2) L. IV. 7, 12, 21.
(3) L. IV. 12, 16. al.
(4) L. IV. 20.
(5) L. IV. 14, 19, 28.
(6) L. III. 26 p. 401. VII. 5. p. 886.
(7) L. III. 26. VI. 24.

veniam non habent. Homines autem, ut a peccatis purgentur, Deus poenitentiam agere jubet, quod nihil aliud est, quam profiteri se non amplius peccaturos. Jam vero hac poenitentiâ et animi conversione ad meliora quisque satisfacere debet Deo (1). Nec sufficit ei ab omni vitiositatis labe liberari, sed humanitati opera ab eo navanda est, ut quod antea fecerit ad remissionem peccatorum sibi comparandam, nunc faciat ad laudem gloriamque virtutis (2). Sed ante omnia tenendum est, cum Christi sectatores daemonum impulsionibus inter se divisi sint, veram et Catholicam non esse Ecclesiam, nisi in quâ sit confessio et poenitentia, quae peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curet (3). Hic enim fons est veritatis, hoc domicilium fidei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitae ac salutis aeternae alienus est (4).

Sed quae de rebus post hanc vitam disputet Lactantius enucleatius exponenda sunt. Animas hominum dicit in unâ eademque custodiâ detineri (5), donec, sex annorum millibus post hunc mundum conditum expletis, Christus judex hanc in terram redeat

(1) L. VI. 12, 18, 24. cf. IV. 17. V. 13.

(2) L. VI. 13.

(3) Scripsisse hoc videtur auctor adversus eos, qui homines, quotquot in graviora peccata inciderant, etiamsi agere vellent poenitentiam, in Ecclesiae societatem recipi vetabant, et quidem praecipue adversus Novatianos.

(4) L. IV. 30. cf. 14 al.

(5) L. VII. 21. p. 963. Ceterum non omnino nobis constat, auctorem sibi cavisse ab eorum errore, qui animum post corporis mortem sensu carere dicant, donec tandem una cum corpore vitae restituatur. Sed improbavit, quae poetae et philosophi de oblivione sui, quâ animus humanus in alterâ vitâ teneatur, commentati sunt. Vid. L. III. 18. VII. 22. Aliter tamen Bertholdt t. II. p. 248.

eat (1). Tempore autem illo appropinquante, Romanum nomen et imperium de terrâ sublatum iri. Decem vero reges orientales orbem terrarum inter se partituros, et, tribus eorum ab hoste quodam septemtrionali, sed potentissimo devictis, ceteros hunc imperii socium et principem accepturos esse. Quo dominante, augurat Lactantius, civitates delebuntur, non modo ferro et igni, verum etiam terrae motibus et eluvie aquarum et morbis frequentibus et fame crebrâ. Anni tempestates confundentur. Generis humani vix decima tandem pars erit superstes. Tum vero propheta, qui homines ad Dei cultum reducat, divinitus mittetur, sed interficietur a rege, qui e Syria oriundus, et malo spiritu genitus sit. Hic autem, superatis terrae dominatoribus, ipse se tanquam filium Dei coli jubebit. Dei vero cultores tyrannidem ejus in montem effugient, et liberabuntur a Christo, qui eâdem nocte, quâ olim his in terris natus est (2), e coelo redibit, ut suos vincat adversarios, tum alios, tum *antichristum* illum, cujus asseclae a cultoribus Dei auxilio angelorum interficientur. Post haec, auctor dicit, quotquot in Religione Dei versati sint, e mortuis resuscitatum iri, et alterâ eorum parte ad poenam condemnatâ, ceteros velut judices praefuturos esse iis, qui vivi supersint. Hos autem gentes Polytheismo deditas, quotquot reliquae sint, pro servis habituros, et infini-

(1) L. VII. 14, 21.

(2) Lact. L. VII. 19. p. 955. „ in eâ et vitam tum „ recepit, quum passus est," cet. Quod de nocte, quâ Christus post mortem in cruce vitam recepit, interpretatur Schroeckh. l. c. T. V. p. 249. Sed oratio contexta docet auctorem verbo *recepit* usum esse pro *accepit*, et dictione *quum passus est*, primum Christi, quem dicit, adventum significasse.

ritam hominum multitudinem procreaturos esse, quae sancta sit et Deo cara. Omni itaque malitiâ exstinctâ, Christum cum sectatoribus suis hac in terrâ regnaturum esse. Regni sedem fore sanctam civitatem in mediâ terrâ (1) constitutam. Lunam claritudine solis fore conspicuam, solem autem septies clariorem, quam nunc sit. Rivos vino, flumina lacte abundatura, et aureum poetarum seculum rediturum esse (2). Hujus tandem regni, ita pergit Lactantius, cum mille anni coeperint terminari, princeps daemonum, qui, ne regno huic noceret, vinctus fuerit, custodiâ emissus, exteras gentes, ut bellum inferant sanctae civitati, impellet. Sed hae omnes, populo Dei sub concavis occultato, per tres dies igne coelesti, grandine, ferroque delebuntur, quibus interfectis pax erit et requies sempiterna. Tandem mundo renovato secunda erit et publica hominum impiorum resuscitatio, qui, corporibus acceptis insolubilibus, igne puro et liquido et velut aqua fluido cremabuntur in aeternum, ita ut quantum corporibus detrahitur, tantum iis continuo restituatur. Quo igne auctor opinatur cultores etiam Dei examinatum, et qui vitiis ac sceleribus se tradiderint, ambustum iri, ceteros vero, vi flammae repulsâ, fore incolumes. Jam vero Diabolo, cum suis satellitibus, hominibusque impiis, nec non viris, qui propter merita sua Deorum instar culti sunt, aeternas scelerum suorum poenas luentibus, Dei cultores in similitudinem angelorum transformatos, et candidos, velut nivem, factos, coram Deo aeternâ gavisuros esse beatitate (3). De-

(1) Alibi auctor dicit Deum cultores suos convocaturum esse in locum, ubi fuerit Paradisus, i. e. in Orientem vid. L. II. 12.

(2) L. VII. 15, 16, 17, 19, 20, 24.

(3) L. VII. 14, 21, 26.

Denique audiamus auctorem, ubi morum disciplinam exponit. Duas vias dicit hominibus esse propositas, quarum altera Deum habeat ducem, et ad coelum ferat, altera, duce Diabolo, ad inferos deprimat. Hanc ingredi, qui vitiis se tradant, illam, qui virtuti studeant, i. e. qui colentes Deum malum fugiant et bonum faciant (1). Justitiam summam esse virtutem, seu potius fontem virtutum, quarum praecipuae sint pietas et aequitas (2). Normam virtutis legem esse Dei, ideoque veram justitiam a jure civili caute distinguendam (3). Virtutem excolendam esse non gloriae captandae studio, sed quia ad eam nati simus, et immortalitatis assequendae gratiâ (4). Varios esse virtutis gradus, quippe quae operam navare debeat fugiendis pravis et operibus et verbis et cogitationibus. Satis justum esse, cujus opera legibus Dei non repugnent; in eo, qui a perverso sermone liber sit, jam perfectam esse virtutem; mentis innocentiam viribus humanis pene superiorem esse, sed qui illuc pervenerit, similitudinem Dei assecutum esse videri (5).

Duo nobis, ut monet auctor, officia imposita sunt, ut cum Deo conjungamur religione, cum hominibus humanitate, quamquam id ipsum, quod homini tribueris, Deo tribuitur (6). Vera autem religio est, Deo offerre animi integritatem et laudem, quarum altera pro dono, altera pro sacrificio sit (7). In pietate, i e. agnitione et cultu Dei, summa rerum versatur, sine quâ

(1) L. VI. 3, 4, 5.
(2) L. V. 5, 6, 14, 17.
(3) L. VI. 8, 9. cff. V. 14. VI. 6, 17, 24.
(4) L. VI. 6, 9, 18.
(5) L. VI. 13.
(6) L. VI. 10.
(7) L. VI. 24, 25. cff. 2, 10.

quâ virtus similis est corpori caput non habenti. Uti vero ei, qui Deum cognoverit, omnia facilia sunt, ita virtutis studium vanum est, nisi spes adsit fore, ut a Deo immortalitate donemur (1). Humanitatem sive misericordiam conservat, qui homines, quippe fratres diligit, neminem eorum vel nocentem odit, iis semper prodest, nunquam nocet. Beneficia gratuita esse debent, aegrotos curare nos oportet, pauperes alere, peregrinos excipere hospitio, pupillos et viduas tueri, pauperes et peregrinos sepelire (2). Illicita sunt mendacia, usura, maledicentia, ultio. Aliis non est faciendum, quod nolumus ut ab aliis nobis fiat (3). Humanitatis praemium est remissio peccatorum, quae perpetuâ largitione aboliri debent, hac tamen conditione, ne quis in peccandi licentiam incidat (4). Porro uxori fides servanda est, neque alia, quam adultera, dimittenda (5). Homines ita se gerere debent, ut qui omnes apud Deum aequales sunt (6). Deus homicidio vetando, ea quoque improbavit, quae vulgo pro licitis habentur: nimirum recens natos oblidere aut exponere, quemquam crimine capitali accusare, interesse spectaculis publicis, in quibus sanguis humanus effunditur (7), denique bellum gerere, quo justitia fugatur, siquidem alii civitati detrimento est, quod emolumento est patriae (8).

Hominum animis, secundum Lactantium, affectio-

(1) L. VI. 9, 23, cff. II. 15. V. 14. al.
(2) L. VI. 10, 11, 12.
(3) L. VI. 18, 20.
(4) L. VI. 12, 13.
(5) L. VI. 23.
(6) L. V. 14, 15.
(7) L. VI. 20.
(8) L. V. 17. VI. 6, 20.

tiones Deus indidit, ut vitae officia obirent, sed vitiorum materies iis substrata est. Non tollendae sunt aut temperandae, sed in rectam viam dirigendae, earumque caussae moderandae. Quarum varietas varia efficit affectionum genera. Virtutes sunt, si bene iis utimur, si male, vitia. Misericordia, metus Dei, cupiditas rerum coelestium sunt virtutes. Inprimis homines ad omnia facinora praecipites agunt ira, cupiditas, libido, quae vel ad eorum, qui nobis subditi sunt, peccata coërcenda, vel ad ea comparanda, quae vitae necessitas postulat, vel ad sobolem propagandam nobis datae sunt; sed vulgo pervertantur ad studium ultionis, opum, voluptatum, et omnia fere scelera gignunt. Oportet igitur eas intra fines a Deo praescriptos redigere (1). Sensuum voluptates sunt mortiferae, et ideo virtute superandae, vel ad rationem suam revocandae. Detestanda sunt igitur, tanquam laquei et plagae, spectacula publica, scenae, ludi circenses, festa Deorum; carmina itidem poëtarum; ciborum, florum, unguentorum deliciae; incesta libido. Sensibus ad vitae necessitatem utendum est, auribus e. gr. ad percipiendam Dei doctrinam ejusque laudes audiendas, libidine ad liberorum procreationem. Neque tantum adulteria, stupra et hujusmodi flagitia pro sceleribus sunt habenda, sed et polygamia et incestae libidinis cupiditas. Libido intra torum cohibenda est, si quis eam refrenare nequeat. Qui vero vitâ coelibe agendâ, quod tamen Deus non praecepit, corporis integritatem conservavit, in summo stat virtutis fastigio, et eximiam a Deo accipiet mercedem. E contrario, qui voluptatibus indulgentes corpori se emancipant, morti tradunt animos suos (2). Bona terrestria, opes, honores, re-

(1) L. VI. 5, 14. sqq.
(2) L. VI. 20. sqq.

regna spernere debemus (1). Navigare lucri causâ non licet (2). Res familiaris non quidem exhaurienda est, aut projicienda, sed beneficiis impendenda (3). Paupertas non fugienda, sed magni facienda (4). Ultio adeoque defensio sui illicita. Patientiâ nihil homine dignius. Egestatem, exsilium, dolorem et quaevis mala subire tenemur, mortem contemnere, non appetere, multo minus ultro nobis inferre (5). Unius animae conservatione officia sunt metienda (6). Quisquis igitur rectâ viâ vult procedere, non terram debet adspicere, sed coelum; non ad corpus referre omnia, sed ad mentem; non huic vitae dare operam, sed aeternae (7).

Atque huc redire nobis videntur, quae passim Lactantius de religionis doctrinâ copiose disputavit. Haec autem qui legerit, nunc puto, auctorem apud se laudasse, nunc vituperasse, nunc vero dubitasse, quid ille tandem sibi voluisset. Et sane quisque videt, quamvis ad plenam perfectamque Religionis Christianae multa apud Lactantium desiderentur, eum tamen longe fuisse diligentiorem, quam plerosque antiquae aetatis Apologetas. Nimirum doctrinam religionis activam i. e. *Practicam* Libro VI. universo tractavit, et tanquam in compendium redegit (8). Neque contemplativae, i. e. *Theo-*

(1) L. VI. 17. VII. 5.
(2) L. V. 17.
(3) L. VI. 12, 17.
(4) L. VI. 12. VII. 1.
(5) L. V. 22. VI. 9, 17, 18. Unde satis luculenter apparet auctorem vindictae cupiditatem a studio se defendendi distinguere nescivisse.
(6) L. VI. 1, 8, 17.
(7) L. VI 8.
(8) Ambrosium inter primos fuisse, qui hoc facerent, dicit Brücker l. c. T. III. p. 359. sq.

Theoreticae partem, quae spectat ad Christum Dei filium, hominum doctorem, servatorem et judicem sine diligentiâ Libro IV. et VII. ceteras vero datâ occasione passim enarravit. Cernuntur in libris ejus prima tanquam lineamenta corporis, quod deinceps alii compegerunt (1). Eum autem libros exterorum scriptorum in usum suum convertisse eo minus culpandum est, quo clarius apparet, ita factum esse, ut viâ et ratione in disputando procederet. Sed tantum tamen abest, ut semper virum se praestiterit vere philosophum, ut quid sibi vellet bene definire neglexerit, sibique ipse haud raro contradixerit (2). Cujus negligentiae exemplum praebent, quae de resuscitatione mortuorum disputavit (3), altero in loco dicens improbos Christi sectatores ceterosque homines in vitam redituros non esse, in altero vero omnes omnino homines, ne illis quidem exceptis, e mortuis resuscitatum iri. Haec autem nemo facile inter se conciliabit, nisi animadverterit, auctorem *resurrectionis* vocabulo et generatim denotasse reditum in vitam, et sigillatim beatitudinis aeternae adeptionem. Sed ne sic quidem omnis ab eo amovetur contradictio.

Res quod attinet a Lactantio propositas, non omnia ex Litteris sacris sunt petita, quae ab eo ad religionis doctrinam referuntur. Immo vero, quae de Dei naturâ, de viâ virtutis et vitiositatis, de animi affectionibus, ne alia commemorem, ab eo disputantur, pro parte saltem mutuatus est a philosophis (4). Quos ne-

(1) Praeivit jam Origenes monente Bertholdt T. I. p. 107. sq.

(2) Iniquius in auctoris negligentiam invehitur Rau l. c. p. 73. sq. 79, 109. et saepe alibi.

(3) L. VII. 20, 21, 26.

(4) Quod ei nonnulli in vitium verterunt. cf. Tillem. l. c. p.

negari nequit, multum lucis ipsi attulisse, qua ad varias doctrinas enucleandas et confirmandas uteretur (1). Veruntamen sole clarius est, eandem philosophiam hanc ei fraudem fecisse, ut in religionem Christianam haud pauca importaret, quae aliena essent a mente Jesu et Apostolorum, sive ipse talia ex veterum placitis ratiocinando elicuisset, seu hanc in religionem perperam trajiceret, quae eorum in scriptis legisset (2). Nihil autem vehementius dolemus, quam spuria *Sibyllarum* carmina auctori tanquam fontes fuisse, unde religionis doctrinam peteret, et multo magis, quoniam haec fecit judicii imbecillitas, ut inepta, ne dicam ridicula, de rebus futuris commenta disciplinae divinae adspergeret (3). Praecipue vero Lactantius sua placita ab aliis sumsit religionis Christianae doctoribus, quos ita secutus est, ut nunc eorum opiniones tam falsas quam veras probaret, suisque commentis quasi exornaret, nunc, ubi duas inveniret sententias sibi invicem contrarias, neutrâ earum probatâ, medium aliquid interponeret, nunc, vulgari sententiâ relictâ, Haereticorum, qui dicuntur, doctrinae calculum suum adji-

p. 356. Ipse auctor a philosophis, quorum errores redarguere decreverit, quidquam mutuatus esse videri noluit vid. L. VI. 2.

(1) Vide quae de rebus, quas modo diximus, disputavit.

(2) Cf. Rau p. 52. sqq. Multi et alios scriptores christianos et Lactantium plura placita e Platonis disciplinâ hausisse voluerunt, neque negari potest, auctorem nonnunquam ita locutum esse, ut philosophi illius dicendi rationem sequi videretur. Sed eum ista potius ab aliis e. g. *Pseudo* Hermete, quam a Platone accepisse putaverim.

(3) Auctorem his carminibus pro fontibus usum esse, non tantum apparet e frequenti eorum, ubi de rebus futuris agit, excitatione, sed et ex *Inst.* VII. 16. coll. *Sibyll.* V. 349. sqq. et VIII. 214. sqq p. 879. edit. *Opsopaei*, et pluribus aliis locis.

jiceret. Ita pleraque eorum, quae de naturâ Christi divinâ scriberet, ab aliis accepit (1), qui, quamvis Christum splendidis ornabant nominibus, hunc tamen Deo summo inferiorem dicentes, litibus acerrimis ansam dederunt. Ad quorum sententiam quoque illustrandam nonnihil lucis afferre videtur Lactantius, ubi monet, Christum propter merita sua Dei nomen accepisse, et contineri in summo Deo, qui ipse rerum sit origo. Hinc enim colligimus, eos, quos duces sibi auctor elegisset, appellationem Dei alio sensu Filio quam Patri tribuisse, et Christum pro Deo minoris ordinis habuisse (2). In describendâ autem geniorum coelestium naturâ, nec non regno Christi millenario, ceteros ineptâ seduritate superavisse non immerito censetur (3). Sed ubi Deo corpus denegat, et formam tamen tribuit, neque Tertulliano, neque Arnobio assentitur, suo exemplo comprobans, qui mediam quasi viam ingrediantur, non semper errandi periculo liberari (4). De geniorum vero procreatione, de

(1) Vid inprimis Arnob. I. 48, 53. II. 60. ad cujus sententiam proxime accedere videtur Lactantius; qui etiam hoc cum Arnobio commune habet, quod nihil dicit de Spiritus Sancti naturâ cf. Munscher T. I. p. 502. sq. Plures quoque errores ab aliis accepit Lactantius cf. Munscher l. c. p. 397. sqq. T. II. p. 27. sqq. 442. sqq. al. Barbeyrac l. c. p. 74, 82, 90, 107. sqq. al. Bruckeri l. c. T. III. p. 960. sq.

(2) Cum locis Lact. supra excit. cf. omnino Epitom. c. 42.

(3) Vid. Munscher T. II. p. 9, 407. Bertholdt T. I. p. 125.

(4) Vid. Tertull. adv. Prax. c. 7. al. Arnob. I. 31. III. 12. sqq. Lactantii loca supra excitavimus. Nunc autem monemus, auctorem a Deo omne abesse voluisse, quod *solidum* sit, *ponderosum, insensibile, passibile, dissolubile et morta-*

 ta-

de pravitatis labe materiei adhaerente, de corpore humano talia scripsit, quae a Gnosticorum et Manichaeorum erroribus prope abessent (1). Quod miramur sibi indulsisse virum, qui adversus omnes haereticos scribere constituisset (2).

Jam vero, si, nullâ aliorum hominum ratione habitâ, religionis doctrinam a Lactantio expositam propius intuemur *primum* apparet, multum ei adhaesisse superstitionis. Quod non temere a nobis dici, intelliget, qui meminerit, quae supra auctorem exponentem vidimus de geniis, de verâ ecclesiâ, de igne, quo Christi sectatores examinandi, ceteri vero homines puniendi sint, nec non de variis virtutis gradibus, de usurâ, de bello, de capitis accusatione, de largitione bonorum, patientiâ, defensione sui, et, ut plura taceamus, de sensuum voluptatibus atque vitâ coeli-

tale. Haec enim ad corpus retulit vid. L. II. 8. III. 12. VII. 1, 21. cf. Rau p. 88. De notione autem naturae incorporeae, quam ne Alexandrini quidem ceperunt, Vid. Munter, Dogmengeschichte, T II. p. 149 sqq.

(1) Malumus partes tenere Munscheri T. I. p. 182. T. II. p. 9, 82, 117. haec placita cum haereticorum erroribus comparantis, quam Ravii p. 52. sq. qui ea cum Academicorum comparat disciplinâ cf. etiam Munter, l. c. T. II. p. 103 sqq. Qui autem, ut auctorem haereseos culpâ liberarent, loca quaedam velut spuria rejiciebant, minus meminerunt, vel sic tamen satis multa ejusdem notae libris ejus inesse. Sic e c. locus L. II. 8. quem in uno tantum cod. 142. reperi, valde similis est iis, quae auctor disputat. L. II. 17. *de irâ Dei* c. 13, 15, 20. Praeterea verba l. c. p. 219. *praefecit operi universo* explicanda esse videntur ex iis quae leguntur p. 218. not. q. fin. Ceterum vereor, ut vere dixerit Roeszler, l. c. p. 253. Lactantium non magis a vulgari sententiâ abiisse quam Barnabam, Irenaeum, alios.

(2) Vid. L. IV. 30. *de irâ Dei* c. 2.

libe (1). Haec enim, quamvis tam turpia non sunt, quam multa temporum recentiorum inventa, attamen non Christi doctrinae, sed mentis humanae imbecillitati deberi, monere non opus est. *Alterum*, quod animadvertimus, cernitur in Lactantii proclivitate ad placita, quae a lenitate et humanitate aliena sunt. Nimirum, Deum Judaeos in errorum indexisse, ne Christum agnoscerent, hunc tamen errorem pro scelere eorum capitali habendum esse. Neque Christum, cum in vitam rediisset, eos ad poenitentiam adducere voluisse. Homines item improbos, Christo e coelis redeunte, a Dei cultoribus interfectum iri. Qui consulto, peccent, veniam peccatorum sperare non posse, et hujusmodi plura. Quae quantum a religionis Christianae indole, quâ Deum non dominum immitem, sed patrem esse clementissimum docemur, abhorreant, nemo non ignorat. Ad culpam vero auctoris minuendam facere videtur, quod nunc *tertio* monendum est. Nempe difficillima praesertim religionis capita fuisse, in quibus ille a vero aberraret. Quo praeter alia referimus, Deum esse Spiritum, eundemque aeternum, malum morale, quod ubique cernitur, non repugnare sapientiae, bonitati atque justitiae Dei, qui universa regat (2). Quae cum auctor ita exponere vellet, ut omnium desideriis satisfieret, non vidit se praecipitem in errores incidisse. *Quarto* notandum est, haud raro

(1) Errores Lactantii in morum disciplinâ commissos magnam partem notarunt Barbeyr. p. 139. sqq. et Rau p. 114. sqq. qui minus accurate auctori sententiam tribuit, supplicia esse illicita. Adde Brucker T. III. p. 470.

(2) Formam ab auctore Deo tributam supra vidimus, uti et ex ejus sententiâ, Deum ex se ipso procreatum esse, quod notavit etiam Rau p. 104. sq. et Anton. *Raud.* l. c. De malo morali Lactantio multo prudentius disputavit

re in mente Lactantii meliora fuisse, quam quae verbis exprimeret. Videlicet, ut hoc exemplo utamur, quamvis Deo iram et alia ipso indigna tribuit, hoc tamen lenius feret, qui aliunde intellexerit, auctorem magnam cautionem adhibuisse, ne natura divina cum depravatâ hominum naturâ confunderetur, ejusdemque fere fuisse sententiae atque omnes, quotquot, cum Litterarum Sacrarum scriptoribus populariter de irâ Dei loquuntur, i. e. illum hac pollere virtute, quâ malum morale oderit, et ad illud coërcendum feratur (1), similiter ubi aequitatem (2), quam dicit, et paupertatem commendat (3), navigationem vero lucri faciendi caussâ institutam improbat (4), sine dubio, ut ex aliis apparet locis, contendit, quae vero et honesto magis conveniunt, quam primâ fronte convenire videantur. *Quinto* silentio praeterire non possumus, aucto-

vit Arnobius, Deo illud tribui nolens, etiamsi ejus caussae ignorentur vid. L. II. 55.

(1) Vid. L. II. 17. cff. *de irâ Dei* c. 4, 8, 12, 17, 21. al. Medias tenuit inter Tertullianum *adv. Marc.* I, 25, 26. II. 13, 14, 16. et Arnobium I. 17, 18. III, 28. VI. 2. VII. 5, 15.

(2) Vid. V. 14. coll. 15. ubi docet aequitati non repugnare, ut alii sint pauperes, alii divites, alii servi, alii domini, quod minus meminit Brucker l. c. T. III. p. 469. Neque nobis constat varios dignitatum gradus per se ab auctore improbari, uti dixit Rau p. 114 quid? quod ipse Lact. L. VI. 19. p. 810. protulit, quae, etsi probari non merentur, satis doceant, eum non omnem rejecisse hominum inaequalitatem.

(3) Vid. L. VI. 12. p. 770. coll. p. 772. et c. 17.

(4) Rau p. 119 cum loco L. V. 17. opportune conferre jubet *de irâ Dei* c. 13. unde apparet, auctorem non omnem navigationem per se pro illicitâ habuisse. Neque negligenda sunt verba *fieri potest, ut (justus) vel invitus ad haec subeunda cogatur.* Quae vereor, ut recte interpretatus sit Barbeyr. p. 142. sq.

ctorem nonnulla etiam omisisse, quae ad capita religionis Christianae pertinent. Uti consilium mortis Jesu ad hominum peccata expianda.

Nondum de iis diximus, quae in Lactantio laude digna esse putamus. In universum igitur monemus, eum, quamvis multos errores committeret, religionem tamen Christianam ita exposuisse, ut ejus praestantia omnibus conspicua redderetur, quaenam autem et quales singulae librorum ejus, ubi in exponendâ Christi doctrinâ versatur, dotes et virtutes sint, lectoribus hujus capitis longâ oratione commonstrare nihil attinet. Multa enim enarravimus, de Deo uno, eodemque perfectissimo, et hujus mundi conditore, de Christo hominum doctore ejusque exemplo, nec non de affectionibus animi hominumque offi iis praeclare ab auctore dicta et longe praestantiora iis, quae ab aliis in medium prolata sunt. Egregie porro sine pietate virtutem veri nominis esse nullam disputavit, et spem immortalitatis esse necessariam hominibus, quo virtutem strenue excolant. Inter primos quoque fuisse videtur, qui discrimen observarent, quod inter virtutem vi legis divinae homini impositam, et a rationis humanae decretis pendentem interest (1). Sed quidquid hujus rei est, a nobis impetrare non possumus, ut assentiamur iis, qui auctorem disciplinae Christianae plane rudem fuisse opinentur (2), cum vero ille se phantasiae tanquam alis imprudentius dederit, judicii subtilitate in rebus intelligibilibus definiendis prorsus caruerit, Deoque multa humana affinxerit, non immerito eum

(1) Vid. Brucker p. 469. cf. Rau p. 77. sq. Negari tamen nequit, auctorem nonnunquam hujus discriminis minus fuisse memorem.

(2) Vid. Bullum apud Rau p. 76. cf. Tillem. l. c. p. 356.

eum ad classem referre nobis videmur, quam *Afris* Christiani nominis scriptoribus constituit Munscherus (1).

CAPUT IV.

DE SCRIPTA A LACTANTIO DEMONSTRATIONE, RELIGIONEM CHRISTIANAM VERAM ET DIVINAM ESSE.

Absolutâ disputatione de expositione religionis Christianae a Lactantio in medium prolatâ, nunc perscrutemur, quomodo ille hanc religionem veram et divinam esse demonstraverit.

Et *primum* quidem videamus, de iis, quae ad *Litterarum Sacrarum*, *Veteris maxime Foederis*, *auctoritatem* pertinent. Lactantius sumens, fieri non potuisse, „ut homini per se ipsum ratio divina in„notesceret," Deum aliquando docet, hominum oculis illustratis, viam iis immortalitatis consequendae ostendisse (2). Quod cum diceret, dubio caret, eum in mente habuisse divinam patefactionem Litteris Sacris traditam. Quarum alteram partem, i. e. V. T., non perfectam dicens, alteram, i. e. N. T., consummatam (3), ab eorum discessit sententiâ, qui huic mino-

(1) Munscherus scriptorum *Afrorum* classem T. II. p. 581. ita constituit ac definivit, ut mirandum sit, eum Lactantium inter *Asiaticos* censuisse, cf. et Berth. T. I. p. 53.

(2) L. I. 1. III. 1. IV. 24.

(3) L. IV. 20.

minorem auctoritatem, quam illi tribuebant (1). Sed hoc cum Apologetis antiquis commune habuit, quod ad divinam religionis Christianae originem probandam, rarissime uteretur Novi Testamenti libris.

Quemadmodum homines vulgo, ut libro alicui honorem suum pretiumque statuant, ad ejus antiquitatem provocare solent (2), sic saepe Lactantius vates Hebraeorum scriptoribus Graecis antiquiores esse monet, a Mose ad Trojae excidium septem integra fluxisse secula, Salomonem 140 annos illud excidium antecessisse, a regno Davidis 1050 annos, a Zachariae tempore prope 500, ad mortem Christi praeteriisse (3). Auctori hic duces fuisse, qui interpretationis Alexandrinae fidem sequerentur, nemo non videt. Sed laudes tamen hujus interpretationis ab aliis Apologetis mirum in modum sermone exaggeratas apud eum non reperimus (4). Ad antiquitatem autem provocans, non contradixit iis, quae supra eum adversus antiquas gentium superstitiones disputantem vidimus. Nam hoc argumento usus est, tum, ut

(1) Ita Justinus M. aliique. cff. Rosenm, *Hist. Interp.* P. I. p 149, 194, 199. sqq. Tzschirner l. c. p. 97. sq. Meliora probasse videntur Theophilus, Irenaeus et Origenes. cff. Rosenm. l. c. p 200. P. II. p. 193. Tzschirn. p. 126. sqq.

(2) Locis citt. a Tzschirn. p. 100. sqq. adde Just. M. *Apol.* II. p. 68, 73, 80. Tertull. *Apol.* fragm. quod ed. suae adjunxit Havercamp. p. 439. sqq.

(3) L. IV. 5, 8. 18. Ubi et c. 14. ubi mentem auctoris, qui varios reges, Darii nomine dictos, inter se confudit, non intellexisse videntur, qui *priusquam* pro *postquam* substituebant cf. c. 5.

(4) Cf. praeter alios Tert. *Apol.* c 18. De fabula Aristeae vid. vir. cl. Pareau, *Inst. Interpr.* V. T. p 72. sqq. et L. van Ess, *Gesch. der Vulgata* cit. p. 47. sqq.

ut erroręm refutaret eorum, qui Litteras Sacras recentes esse dicerent, tum, ut vaticinationibus, ante multa secula editis, suum vindicaret pretium, tum denique, ut veram religionem Polytheismo vetustiorem esse commonstraret (1).

Scriptorum Sacrorum *fidem* Lactantius efficere studuit, ostendendo, eos neque insanos, neque fallaces fuisse (2). Monuit igitur vaticinia illorum eventu fuisse comprobata, et suo adhuc tempore comprobari. Sed hic sine dubio desideratur accurata fidei horum scriptorum historicae et auctoritatis eorum divinae distinctio. Ita et plura sumsit, quam probare posset, ubi porro contendebat, fraudis suspicionem in eos non cadere, quippe qui alios a fraude cohibuerint, *extemporalem*, ut ait, cibum, quem Deus subministraret, satis habuerint, et quorum nonnulli reges principesque fuerint. Rectius vero Litterarum Sacrarum caussam tuitus est, provocando, tum ad cohaerentiam eorum, quae illi variis in locis locuti erant, tum ad mala, quibus se religionis causâ subjecerant. Sed de orationis tenuitate, quâ omnem fraudis suspicionem a se amoverent, loqui neglexit; quod magis mirandum est, quoniam se opponebat hominibus, quibus haec tenuitas offensioni erat (3).

Omnium gravissima est disquisitio de *auctoritate divinâ* Scriptorum Sacrorum, proprie ita dictâ. Quam auctor dicit miraculis niti et vaticiniis. Uti et scriptores Sacros Spiritu Sancto plenos fuisse monet (4). Si vero quis rogat, quaenam Lactantii de Theopneustiâ fuerit sententia, anceps haereo, quid respon-

(1) Vid. L. II. 13. IV. 5, 8, 13, 18.

(2) L. I. 4. IV. 8.

(3) L. III. 1.

(4) L. I. 4. III. 1. IV. 10. sqq.

deam; cum nusquam auctor mentem suam satis perspicue explicuerit. Hoc unum apparet, illum liberum fuisse ab illorum superstitione, qui scriptores sacros pro meris haberent Spiritus Sancti instrumentis et machinis (1).

Sic igitur Lactantius operâ navatâ, ut Litterae Sacrae suo loco et numero haberentur, triplici maxime consilio ad earum provocavit auctoritatem. Nimirum, ut religionis Christianae doctrinam vatum antiquorum vocibus confirmaret, ut Christo summam vindicaret dignitatem, utque ostenderet, vaticinia antiquitus edita in historiâ Jesu exitum invenisse. Auctorem plus semel, ut singula religionis Christianae capita confirmaret, ad scriptores sacros, nemine eorum nominatim excitato, provocasse supra vidimus. Nunc autem monemus, eum, quamvis Veteris Novique Testamenti fines haud omnino male discerneret (2), illius tamen quam hujus libris ad doctrinam Christi tuendam uti maluisse (3). Ex minus autem intellectâ Veteris et Novi Foederis necessitudine, factum est non tantum, ut Lactantius usum librorum Veteris Foederis in aestimandâ doctrinâ negligeret (4), sed etiam, ut vates Israelitarum doctrinae Christianae capita docentes faceret, ubi de iis vel obscure tantum, vel plane non locuti essent (5). Negari tamen nequit, auctorem haud

(1) Hac de re nos alibi dicere meminimus cf. Praeceptor Cl. van Hengel in Opp. Soc. Teyl. Theol. T. XXVII, p. 76, 82, 115. sqq.

(2) Vid. L. IV. 13, 17, 20.

(3) L. IV. 5. cf. praeter alios Tert. *Apol.* c. 19. Just. M. *Dial. c. Tryph.* p. 225.

(4) Vid. tamen L. IV. 13, 17. et cf omnino Vir Vener. Woerman, comment. *de librorum V. F. praestantia et usu* Traj. ad Rhen. 1828. p. 94. sqq.

(5) Vid. e. g L. IV. 6, 8, 13.

haud raro ad defensionem caussae Christi V. T. scripta summo jure usurpasse (1).

Secundo in consilium Lactantius vocavit loca S. L., ubi doceri putabat, esse Deo filium, qui idem esset atque ejus *Sermo*, Christum diu antequam nasceretur exstitisse apud patrem, hunc ipsum esse Deum, et unum cum patre (2). Certum quidem est, pleraque horum locorum praeter rem ab auctore fuisse excitatâ (3). Sed uti Christo natura divina tribuenda est, ita verba poetae: „ unxit te, Deus! „ Deus tuus," ad eum referri debere, multis hodieque placet interpretibus. Et nemo facile negaverit, Joannem Euangelistam eum dixisse Deum (4).

In vaticinationibus, ad quas tertio provocat, Lactantius gravius ad caussam suam tuendam reperiri argumentum opinatur, quam in Christi miraculis (5). Equidem, quamvis hoc argumentum illo multo esse clarius et evidentius puto, in praedictionibus tamen rerum futurarum contingentium, perspicue et distincte editis, atque eventu comprobatis, haud dubia cernere mihi videor providentiae divinae vestigia. Auctorem autem, ubi vates antiquos de Christi natalibus et rebus gestis locutos esse autumat, haud raro errasse, ex supra disputatis colligi potest. Magnus vero erroris fons in sententiâ fuit, quam his verbis prodit Tertullianus: „ Nos quidem certi sumus, Christum

„ sem-

(1) Vid. e. g. L. I. 4. II. 10. sq.

(2) L. IV. 6, 8, 13, 29.

(3) *Ps.* XXXIII. 6. *Ps.* XLV. 2. *Prov.* VIII. 22. sqq. *Jes.* XLIV. 6. C. XLV. 14. sqq. *Jer.* I. 5. *Bar.* III. 35—37. *Sirach.* XXIV. 3, 4.

(4) *Ps.* XLV. 8. *Joa.* I. 1. sqq. Miror auctorem omisisse *Ps.* II. 6. sq. qui e locis V. T. fere classicus est in hac re.

(5) L. IV. 10. V. 3. Caussas hujus opinionis exposuit Tzschirn. p. 137. sq.

UNIV. OF CALIFORNIA

„ semper in prophetis locutum (1).“ Quae igitur Deus, aut vates de se ipsi dixerant, cum aliis Apologetis Lactantius retulit ad Christum (2). Deinde plus semel fraudem sibi fieri passus est ab aliis, qui regulae, tempora apud Hebraeos permutari, rationem minus perspectam habentes, loca, ubi praeterita commemorarentur, pro rerum futurarum praedictionibus haberent (3). Praeterea, quod ex nonnullis V. T. locis exsculpebat, aut suae debuit, aut aliorum audaciae, quae scriptionem vatum antiquorum depravasset. Sic e. c. ad Christum pertinere monet verba, „ persecuti sunt regem suum dilectissimum Deo, et „ cruciaverunt illum in humilitate magnâ,“ quae neque in archetypo, neque apud interpretem Graecum leguntur (4). Lactantium quoque in errorem induxit opinio, vates antiquos duplicem Christi adventum praedixisse, et ita quidem, ut, postquam in coelos abiisset, denuo sed gloriose in terram rediturus esset (5). Quod uti ab his vatibus nuspiam traditum reperitur, sic opinionem illam arripuerunt Christiani, ut

(1) *Adv. Marc.* III. 6. T. I. p. 131.

(2) Vid. *Ps.* XVIII. 44. *Ps.* XXXV. 15. sq. *Jes.* I. 2. sq. *Jer.* XI. 18. sq. et Lact. L. IV. 11, 18. cff. Cypr. *adv. Jud.* I. 3, 21. II. 15, 20.

(3) Vid. e. g. *Jes.* LXIII. 10, 11. *Jer.* VIII. 7. sqq. et Lact. L. IV. 11, 12. Cypr. l. c. I. 3.

(4) Vid. 1 *Reg.* IX. 6. sqq. quem locum nemo Apologetarum, quos vidi, in consilium vocavit, praeter Lact. L. IV. 18. In usu autem locorum 2 *Sam.* VII. 14. sq. *Jes.* XLV. 1. sequitur Cyprianum l. c. I. 15, 21. II. 11. Vid. Lact. IV. 12, 13. Vulgarem editionem 1 *Sam.* III. 35. *Zach.* III. 1. sqq. descripsit Cypr. I. 17. II. 13. ab eâ vero discessit Lact. L. IV. 14.

(5) Vid. L. IV. 12, 16. Tert. *Apol.* c. 21. *adv. Jud.* c. 10, 14. cf. Tzschirn. p. 184, 295.

UNIV. OF CALIFORNIA

ut responderetur Judaeis clamantibus, quae vates illi de Messia praedicavissent, toto coelo differre a vita Jesu. Ceterum nonnullis V. T. locis majori jure usus est, uti *Ps.* II. CX. *Jes.* IX. XI. LIII. *Dan.* VII. Quamvis ne sic quidem ab omni parte probare possumus, quae ad ea interpretanda in medium proposuit (1).

Notandum adhuc est, Hermiam, Minucium, Arnobium aliosque, qui, in disputatione adversus homines exteros, ad V. T. divinam auctoritatem non provocarunt, quodammodo laude digniores esse videri, quam Lactantium. Sed animadverti debet, auctorem Judaeis et Christianis aeque atque hominibus exteris scribendo prodesse voluisse, eumque ab excitandis V. T. locis se temperasse, ubi ratio humana, i. e. philosophia, argumenta caussae suae probandae ei praeberet (2). Ne dicam, nusquam supervacaneum esse, si commonstretur, Deum ab antiquo hominum animos ad accipiendam Christi doctrinam praeparasse.

Vatum exterorum testimoniis Justinus M., Athenagoras, Theophilus, Cyprianus, aliique partes Christi tueri studuerunt. Sed summo jure eorum rationem non habuerunt Tatianus, Hermias, Tertullianus, Minucius atque Arnobius. Lactantius autem duo impulerunt, ut illos potius, quam hos sequeretur: superstitio nempe ipsi cum religione imbuta, et studium nihil omittendi, quod alicujus pretii esse videretur.

Primas partes Lactantius defert Apollini (3), qui Christum *mortalem* dixerit *κατὰ σάρκα*, et mi-

(1) Vid. L. IV. 12, 13, 14, 15, 16, 18, 21.

(2) Vid. L. I. 4. sq. IV. 5, 10. V. 4. VII. 13, 26.

(3) Vid. L. I. 7. Supra jam vidimus, auctorem temere induxisse Apollinem, se ipsum *daemonem* appellantem.

UNIV. OF CALIFORNIA

miraculis atque sapientiâ conspicuum (1), et qui oracula ediderit, quae doctrinam Christi de naturâ Dei et immortalitate animi confirmarent (2). Sed quis non videt, auctorem sibi non constitisse, oracula tribuentem Apollini, cui honorem divinum negaret; et laudantem dicta, quae geniorum malorum fraudi deberi existimaret? Mittimus nunc famam, antiquis jam satis cognitam, in Apollinis oraculis nihil aliud cerni, quam sacerdotum fallacias (3). Quas risu insectati sunt Arnobius aliique (4).

De auctoritate carminibus *Sibyllarum* tribuendâ varie ab antiquo disputatum est. Memorari inprimis meretur Fabricii sententia, alia earum carmina hominum fraudi, alia malis geniis, alia mentis furori, alia denique Deo deberi (5). Quo suo igitur placito omnes una conjunxit virorum doctorum opiniones. Lactantio au-

(1) Vid. L. IV. 13. cf. Opsop. *Oracula metrica*, quae addita sunt edit *Sibyllin. Oracul.* Paris. 1599 p 6. 102. sq. Simile est oraculum Apollinis famosissimum de *puero Hebraeo* Vid. van Dale, de *Oraculis Veterum Ethnicorum* p. 443, 460. sq. ed. alt. Amst. 1700. et in libro Belgico *van de oude Orakelen der Heijdenen* p. 23. sqq. ed. alt. Amst. 1718, nec non Casaubon. *exercit ad* Baronii *apparatum annal.* Ex. I. 12. p 69 ed. alt. Francof. 1615.

(2) Vid. L. I. 7. VII. 13. cf. Opsop. l c. p. 618.

(3) De Oraculo Delphico vid. vir cl. van Heusde, diatr. *in civitates antiquas* p. 20. sqq. Comment. Lat. Tertiae Classis Inst. Reg. Belg. V. II. ejusque discipulum Merxlo, Diss. *de vi et efficaciâ oraculi Delphici in Graecorum res gravissimas.* Traj. ad Rhen. 1822. p. 4, 103. sqq. cf. etiam *Voyage du jeune Anacharsis* c. 22. T. II. p. 453. c. 34. T. III. p. 296. c. 36, *ib.* p. 393. sqq. edit. Paris 1789.

(4) Vid. Arn. L. 26. IV. 24. VI. 23. cff. Tert. *Apol.* c. 22. Min. l. c. c. 26. sq.

(5) *Biblioth. Graec.* L. I. 29. p. 176. ed. Hamb. 1718.

UNIV. OF CALIFORNIA

autem judice, vates illae *ex instinctu daemonum* cecinerunt, et quidem de Deo perfectissimo, eodemque uno et omnium rerum auctore, de hominum naturâ praestanti, sed depravatâ, de rebus post hanc vitam, ita ut doctrinam Christi omnino comprobarent (1) quemadmodum et summam Christi dignitatem praedicarunt (2), deque ejus natalibus et rebus gestis vaticinatae sunt (3). Jam vero missâ quaestione, num auctor omnia loca ab eo excitata bene intellexerit, satis erit dixisse, carmina illa antiquis *Sibyllis* temere afficta esse. Nam, quamvis formam similem habent formae eorum, quae vetustissimi homines *Sibyllis* suis adscripserunt, primum hoc nomine ab iis differunt, quod plura continent ad Deos vituperandos, eorumque cultores perterrendos (4). Deinde eorum auctores multa loca N. T. fallaciter in vaticinationes converterunt, easque longe clariores, quam ab antiquis Hebraeorum vatibus Spiritus S. ope editae erant (5). Quid? quod satis manifestis apparet indiciis, auctores eorum post Christi demum tempora vixisse (6). Neque nos morabitur Clar. Thorlacii sententia, carmina ista a Christia-

(1) Vid. Lact. L. I. 6, 7. II. 8. 10, 11, 12. VII. 7, 13, 15, 16, 18, 19, 20, 23, 24, 25. *Epit.* c. 6, 70.

(2) Vid. Lact. L. IV. 6. *Epit.* c. 42.

(3) Vid. Lact. L. IV. 13. sqq. *Epit* c. 45.

(4) Vid. Lact. L. I. 8, 11, 15, II. 16. V. 13. et *Sib.* L. I. p. 155. L. III. p. 224, 235, 260. L. VIII. p. 367, 395. cff. Lact. L. II. c. 4, 7.

(5) Vid. e. g. Lact. L. IV. 15, 19. et *Sib.* VI. p. 344. VIII. p. 379, 384, 387. cff. *Matth.* XI. 4. sq. XIV. 14. sqq. *Luc.* XXIII. 44. sq. al.

(6) Vid. Opsop. praef. ad edit. cit Casaubon l. c. p. 53, 66. sq. van Dale, *de orac.* p. 11. sq. *van de orak.* p. 41, 486. Fabric. l. c. p. 215. sqq. et, ne alios excitemus, Schroeckh. l. c. T. II. p. 398. sqq.

stianis composita fuisse, ut Dei laudes celebrarent, hominesque ad virtutis studium excitarent, alios vero postea his carminibus praeter spem et voluntatem auctorum ad fraudem abusos fuisse (1), uti et disputare nolumus de verâ eorum aetate et origine (2). Nam satis constat, quod hujus loci est, ea ab antiquis *Sibyllis* profecta non esse. Novimus quidem, Lactantium ad Ciceronis, Varronis, aliorum auctoritatem provocare (3). Sed quamquam illi *Sibyllarum* meminerunt, carmina tamen, de quibus nunc agitur quaestio, cognita sibi non habuerunt. Ubi vero auctor monet, has vaticinationes intelligi non potuisse, antequam exitum invenirent, et ipsam praedixisse vatem, fore ut insana appellaretur et mendax, rectissime a Schroeckhio dicitur attulisse, quae ad horum carminum integritatem defendendam nihil conferunt, quod alicujus ponderis sit (4).

Virgilium Eclogâ IV. secundum *Cumaeae Sibyllae* carmina cecinisse, Christique regnum descripsisse,

(1) Vid. librum, cui titulus: *libri Sibyllistarum Veteris Ecclesiae, crisi, quatenus monumenta Christiana sunt, subjecti*, in Opp. Acad. Vol. IV. Hauniae 1821.

(2) Minus prudenter Semlerus Tertullianum eorum auctorem dixit cff. Eisenl. p. 177. Tzschirn. p. 143. Thorlac p. 241.

(3) L. I. 6. IV. 15. *Epit.* c. 5. *de Irâ* c. 22. cff. Opsop. ed. *Sib.* p. 56. sqq. Fabric. l. c. p. 167. sqq.

(4) Vid. Lact. IV. 15. Schroeckh. l. c. T. II. p. 401. Obiter autem monemus ad *Sibyllarum* auctoritatem praeter alios provocasse Just. M. *Cohort.* p. 16, 56. sq. *apol.* II. p. 66. Theoph. l. c. L. II. p. 112. sq (cff. Opsop. l. c. p. 2, 3, 4, 40, 44. al. Fabric. l. c. p. 117, 197. sq. 202. sq. 221. van Dale, *de Orac.* p. 10. Casaub. l. c. Exc. I. 10. p. 54.) Sed Tatianum, Tertullianum, Minucium, Arnobium earum rationem non habuisse.

psisse, Lactantius opinatur (1). Quid poeta carmine illo voluerit, doctiorum virorum judicio relinquimus. Sed Lactantius satis refellitur eo, quod poëta disertis dicit verbis, aetatem auream a se celebratam, Consule Pollione i. e. cirtiter 40. annos a. C. N. initia capturam esse.

De Hystaspis oraculo, quo Lactantius voluit, *ex instinctu daemonum* multa praedicta esse, quae ad hujus mundi finem exspectanda sint, eodem modo censendum est, ac de Apollinis et *Sibyllarum* oraculis, sed ipse auctor, partim vera esse monens, quae huic oraculo inessent, partim falsa et geniorum malorum fraude ficta, otium nobis fecit plura de eo disputandi (2).

Ultimo loco dicendum est de Hermete *Trismegisto*, quem Lactantius philosophi loco haberi noluit, et cujus testimonia divinis, utpote eorum similia, adjunxit (3). Hunc igitur auctor dicit, de Dei naturâ et providentiâ, de hominum formatione et praestantiâ, de animi humani immortalitate, et rebus post hanc vitam, nec non de summâ Christi dignitate, convenienter Christianorum sententiis locutum esse (4), quam

(1) Vid. Lact. L. VII. 24. cf. Fabric. l. c. L. I. 30. p. 182.

(2) Vid. Lact. VII. 15, 18. cff. Just. M. *apol.* II. p. 66, 82. van Dale, *de Orac.* p. 10, Casaub. l. c. p. 54. Fabric. l. c. L. I. 14. p. 94.

(3) L. I. 6. VII. 13. cff. *de irâ* c. 11. Just. M. *Cohort.* p. 37. Cypr. *de Idol. Van.* c. 4. Tertullianus autem et Arnobius *Trismegistum* quidem memorarunt, sed ut impugnarent, qui eum divino honore prosequerentur. Quod Lact. quoque fecit L. I. 21. cff. van Dale, de Orac. p. 11, 51. al. Casaub. l. c. p. 51. sqq. Fabric. l. c. L. I. 7. sqq.

(4) Vid. Lact. L. I. 6, 7, 8. II. 8, 10, 15. IV. 6,

Quamquam autem incertus sit, unde Hermes has suas opes et quasi thesauros petierit, haud temere tamen contendit, eum cum prophetis, tam quoad verba, quam quoad res consentire, et multa protulisse in medium, quae in L. S. reperiantur (1). Sed hoc ipsum facit, ut libris ejus fidem negemus, quippe qui continent Religionis Christianae doctrinas et Philosophiae Platonicae placita, quae antiquissima, qua ille vixisse fertur, aetate nondum lucem viderant (2). Alia fraudis vestigia praebet argumentandi ratio his in libris trita, quae ut a remotissimae antiquitatis simplicitate abhorret, ita sophistarum Neo-Platonicorum prodit subtilitatem, et fanaticorum somnia, qui vitae contemplativae se dederunt.

Haec igitur Lactantius de vatum exterorum disputavit testimoniis, ut divinam Religionis Christianae originem probaret. Sed reapse causae suae magis nocuit, quam profuit, ludibrio se exponens hominum, quos ipse querentes induxit, quod sibi fraus a Christi sectatoribus fieret (3). Attamen cum ejus aetate multo difficilius fuerit, quam nunc est, scripta genuina distinguere a spuriis, et ipse, ut a superstitione liber non erat, ita et doctrinae ubertate et judicii subtilitate carebat, quas sibi postulat res critica, eum qui-

6, 7, 8, 9, 13, 27. V. 14. VI. 25. VII. 4, 9, 13, 18. *Epit.* c. 4, 42, 71.

(1) L. IV. 9, 27. VI. 25. VII. 18.

(2) Rossellius v. c. qui *Pymandrum* Mercurii *Trismegisti cum Commento* edidit Cracov. a 1584. sqq. ex Hermetis verbis doctrinam *de Trinitate* exsculpsit, quam compararet cum antiquorum Christianorum placitis. Similiter Lact. Hermetis et Platonis verba inter se confert. Vid. *Epit.* c. 42. *de irâ* c. 11.

(3) Vid. Lact. L. IV. 15. cf. Tzschirn. p. 142.

quidem non defendendum, sed excusandum esse contendimus (1).

Progredimur ad argumenta, quae *historia tum* Jesu *et Apostolorum; tum recentiorum temporum* auctori praebuit, ad divinam Religionis Christianae originem probandam. Ut vera esse appareat, quae N. T. scriptores de Jesu tradiderunt, ante omnia de fide eorum constare debet. Hanc autem Lactantium non satis diligenter adversus Hieroclem tuitum esse, vehementer dolemus. Attamen disertis verbis monuit, et nullam in L. S. reperiri repugnantiam, et fraudis suspicionem non cadere in Apostolos Jesu, quippe qui non tantum rudes fuerint et indocti homines, sed etiam veri caussâ se variis malis adeoque morti objecerint (2). Loca autem illarum Litterarum, quae inter se repugnare videntur, ad fidem auctorum magis confirmandam quam labefactandam adhibere nescivit. Quod tamen negotium fatendum est, Apologetas antiquos recentioribus hujus caussae patronis magnam partem reliquisse (3). Praecipue Lactantius mirabiles Jesu praedicavit natales, vocem coelitus auditam, quâ Dei filius declararetur, miracula ab eo patrata et in ejus exitu edita, porro vaticinationes Jesu, reditum ejus in vitam, et abitum in coelos (4). Quae omnia

(1) Cff. Schroeckh l. c. p. 400. Eisenl. p. 177. sqq. Tzschirn. p. 144.

(2) L. V. 2. sq. Multo laudabilior Arnobii diligentia, L. I. 54. sqq.

(3) *Interno*, quod ajunt, argumento, quo religionis Christianae caussa probatur, exponendo, se inter nostrates clarum fecisse summe Vener. Broesium, dictu non opus est. De repugnantiarum specie, quae supra memorata est, vid. admonitiones ejus in libro, cui titulus, *Leerredenen* T. II. p. 137 sqq.

(4) L. IV. 12, 13, 15, 18, 19, 21. V. 3. *Epit.* c. 43, 45. sqq.

omnia ita tractavit, ut summam Jesu dignitatem omnibus faceret conspicuam. Sed reprehendenda duo sunt; alterum, auctorem ut Jesum ex virgine natum esse efficeret, ad nonnullorum animalium provocasse exemplum, quae vento et aurâ concipere solerent (1); alterum, eum Vaticinationes V. T. hoc loco et numero habuisse, ut, si non exstarent, et natalium Christi incerta esset fides, et Christus Magus censeretur (2).

Apostolos quoque Lactantius monet, miraculis et Vaticiniis confirmasse, se divinitus missos esse. Neque hoc enucleate exposuit. Quod autem dicit Petrum et Paulum Romae mala, quae Judaeos, Christi interfectores, manerent, vaticinatos esse, ex libro apocrypho petitum esse videtur (3).

Clara providentiae vestigia in historiâ societatis et religionis Christianae apparent. Lactantium quod attinet, in excidio reipublicae poenas cerni monet, quibus Judaei dignos se reddidissent, interficiendo Christo (4). Gentium exterarum principes, qui Christianos dirissimis malis afficerent, jam hac in vitâ a Deo puniri (5). Mala, quae Christi sectatoribus evenirent, a Deo sic dirigi, ut inservirent ad caussam illius pro-

(1) L. IV. 12.

(2) L. V. 3. cf. Tert. *adv. Marc.* III. 3. Laude inprimis digna est Arnobii de miraculis Christi disputatio, L. I. 43. sqq.

(3) L. IV. 21. Ipse auctor ad *praedicationem* provocat famosissimam, sed sine dubio spuriam, de quâ vid. Fabric. *Cod. Apocryph. N. T.* Hamb. 1719. p. 800.

(4) L. IV. 21. *Epit.* c. 46. cf. Tert. *Apol.* c. 21. 26. *adv. Jud.* c. 8.

(5) L. V. 22. Has poenas, quas dicit, uberius enarravit in libro, *de Mortibus Persecutorum*. cf. et Tert. *Apol.* c. 40. *ad Scap.* c. 3. sq.

propagandam, et horum virtutem corroborandam (1). Quibus ut nonnulla insunt, quae improbari mereantur, ita incaute perhibet auctor, miracula suo adhuc tempore a Christianis edi (2). Opinio enim eos, nomine Christi invocato, et crucis signo frontibus imposito, genios malos fugasse, partim, nisi fallor, Christianorum debetur superstitioni, partim sacerdotum exterorum clamoribus, se illorum praesentiâ, quominus sacra rite facerent, impediri.

Atque ita vidimus, quomodo Lactantius religionis Christianae divinitatem proprie ita dictam demonstrare conatus sit. Nunc exponamus, quid egerit ad praestantiam ejus probandam.

Auctorem religionis Christianae Lactantius summis laudibus extulit, quippe Dei filium, atque hominum doctorem et servatorem. Quomodo autem hinc religionis ab eo conditae praestantiam sequi putaverit, breviter ostendendum est. Docuit nimirum, et maximam quidem partem egregie, unum Christum coelestem, cum hominibus communicare potuissse plenam et certam religionis cognitionem, eumque, cum ipse naturae humanae particeps esset, exemplum virtutis et pietatis praebuisse, quod omnes imitari possent (3). Praeterea Judaeis et exteris hominibus, quorum alteri Christum impietatis accusarent, alteri tenuem vitae ejus conditionem, et mortem in cruce Dei filio indignam esse clamarent, auctor ita occurrit, ut legem Mosaicam e voluntate divinâ a Jesu diceret fuisse abrogatam, hunc autem aerumnas et supplicium mortis passum

(1) L. V. 22. cf. *mort. persec.* c. 48.

(2) L. IV. 27. V. 22. *Epit.* c. 51. *de mort. persec.* c. 10. cff. Tert. *Apol.* c. 23, 27, 32, 37. Tzschirn. p. 175. sqq. Coenen l. c. p. 118.

(3) L. IV. 23. sqq. *Epit.* c. 50. cf. Arnob. I. 60. sqq.

sum esse, tum ut homines lubentius fidem ipsi haberent, tum ut perseverantiae omnibus tanquam dux esset, tum denique, ut significaret, quaenam ab ipso exspectanda essent (1). Docuit quoque, quid vellent Christiani, ubi dicebant, quod multis offensioni erat, et Deum esse unum, et Christum divino honore colendum esse (2). Quamvis autem auctor genio suo nonnunquam imprudentius indulsit, pleraque tamen recte se habent. Sed mirandum est, Lactantium cum aliis silentio praeteriisse argumentum, quod ex candore et simplicitate Jesu ad fidem ejus confirmandam his nostris temporibus peti soleat.

Porro praestantiam suam religioni Christianae Lactantius vindicare studet, demonstrando, *praestantem esse doctrinae eujs naturam et indolem.* Videlicet Deum hic proponi unum, omnia ex nihilo facta, genios bonos et malos, filium Dei omnibus naturis superiorem, homines post mortem superstites, ut praemia accipiant virtutis et scelerum poenas, Deum uno coli pietatis et virtutis studio, homines se mutuo, quippe ejusdemque familiae socios, amore complecti debere, affectiones animi regendas, corporis voluptates repellendas esse. Quae singula cum supra a nobis exposita sint, nunc exemplo commonstrare lubet, quomodo auctor negotium peregerit probandi, illa vera esse. Ut igitur lectoribus persuadeat, aeque materiem ac formam rerum a Deo profectam esse (3), primum, poëtas, qui Deum nihil, nisi ex materiâ, efficere posse crederent, et idcirco chaos in principio fuisse, turpiter errasse monet, fabulas nunc rejiciens, quibus alibi tanquam ex L. S. per traditionem acceptis ad caussam su-

(1) L. IV. 17, 26, 27. cf. Arnob. L. 6, 3. al.
(2) L. IV. 29. *Epit.* c 49.
(3) L. II. 8.

suam probandam utitur (1). Deinde philosophos ait, minus intelligentes Dei potestatem, et sumentes magis, quod contenderent, quam argumentorum vi et pondere probantes, temere materiem a Deo factam esse negasse, neque vidisse, se ita statuendo duos inducere Deos. Porro philosophorum sententiam laudat prope communem, mundum divinâ providentiâ factum esse. Quod ut nobis valde placet, ita miramur, auctorem negligentiorem fuisse in commonstrando, quomodo philosophia antiqua hominum animos ad Christi doctrinam accipiendam praeparaverit (2). Praeterea, testimoniis L. S. et vatum exterorum obiter excitatis, ita argumentatur, et homines ignorantiâ suâ rationis, quâ Deus mundum fecerit, se induci passos esse, ut hunc mundi auctorem habere nollent, et, si mundus a Deo factus sit, necessario quoque materiam ab eo ortam esse. Haec autem argumentatio non quidem tantum valet, ut nullus supersit contradicendi locus, sed ex eâ tamen apparet, Christi doctrinam non repugnare philosophiae. Generatim Lactantius summo jure, doctrinam Christi hoc nomine philosophorum placitis excellentiorem esse, docuit, quod ille omnibus omnino hominibus esset accommodata, haec vero vulgi seperarent tenuitatem (3). Neque hoc temere in eâ laudavit, quod ab omni parte certa esset, et ad mores hominum emendandos egregie comparata (4). Quocum arcte cohaeret auctoris disputatio, Christum doctrinâ suâ *sapientiam* cum *religione* con-

(1) Vid. L. II. 10. VII. 22.

(2) Vid. Oratio Praeceptoris Clar. van Lennep, *de Grieksche Wijsbegeerte als voorbereiding voor het Christendom beschouwd*, quae inserta est Musaeo, cui titulus Magazijn voor Wetensch. Kunst. en Letteren T. II. P. III. p. 295. sqq.

(3) L. III. 25.

(4) L. III. 26, 27.

conjunxisse, i. e. si mentem auctoris assecuti sumus, virtutis praecepta una cum rectâ Dei colendi ratione hominibus tradidisse (1). Cum autem Lactantius non satis accurate inter religionis Christianae praestantiam et divinam ejus originem distinxerit, mirandum non est, eum hanc ex illâ probabiliter efficere nescivisse. Quod tamen prorsus fieri nequit, nisi doctrina Christi cum universae antiquitatis placitis comparetur.

Restat ut ostendamus, quid de hujus religionis *vi salutari* scripserit Lactantius. Et magnam quidem ejus esse efficacitatem, ad hominum animos sibi conciliandos et adstringendos, egregie plane docet. Argumentatio ejus huc redit. Doctrinam Christi non tantum feminae, sed et viri, non tantum pueri et adolescentes, sed et adulti atque senes, non tantum una civitas, sed plurimae, non pauci quidam homines, sed multa eorum millia per terrarum orbem benevole accipiunt, et ad mortem usque defendunt. Neque Christiani cogendo, ut Romani, sed persuadendo, homines flectere solent. Fortissime autem omnes supplicia atrocissima subeunt, mulierculae etiam et pueri. Unde facile intelligitur in caussâ Christianâ esse aliquid certi ac probandi. Qui vero clamant, stultam hanc esse eorum perseverantium, ipsumque Deum eorum, qui hos suos cultores adversus injurias non tueatur, saevum et immitem esse, non meminerunt, Christianos, qui post mortem corporis laborum suorum mercedem exspectent, nihil gloriosius putare, quam hanc perseverantiam; neque intelligunt, Dei providentiam mala, quibus illi afficiantur, ad caussam Christi propagandam dirigere. Ita Lactantius (2). Quibus si adjecisset, infinitam hominum multitudinem trans-

(1) L. IV. 3. sq.

(2) Vid. L. V. 9, 12, 13, 18, 19. sqq. *Epit.* c. 53. sqq.

transiisse ad religionem nihil habentem, quod perversis eorum ingeniis et cupiditatibus accommodatum esset, iisque traditam a viris obscuris, qui Christum, in cruce mortuum, salutis aeternae esse auctorem dicerent, dubitandum non est, quin praestantiam hujus religionis hac ex parte plene et perfecte demonstrasset. Quid autem Christus effecerit ad hominum animos virtutis et pietatis studio imbuendos, auctor in luce ponit clarissimâ, Christianorum vitam et mores ab adversariorum accusationibus vindicans, et jure meritoque laudans. Monet autem inter sceleratos, poenis coërcendos, nullum esse sectatorum Christi (1), qui hujus sint sententiae, Deum ab eo tantum recte coli posse, qui honestum sectetur, et qui hoc etiam nomine a gentibus differant, quod bellum non experiantur, cupiditates regere, et concordiam cum omnibus servare annitantur, totum genus humanum, et vel inimicos, amore prosequantur (2). Haec autem ita tractat, ut laudes quidem Christianorum, aeque atque alii Apologetae, sermore exaggeret, sed ne sic quidem oratio ejus locis caret claris et lucidis, ex quibus satis superque apparet, sectatores Christi mirum in modum virtute superstitiosis Deorum cultoribus antecelluisse. Quid? quod luculenter probavit, hanc religionem ejus esse indolis, ut sola illa virtutis studium, quod ex orbe terrarum propemodum excessisset, inter homines reducere posset, quippe quae inculcaret animis, Deum non sacrificiis ritibusque faciendis, sed men-

(1) Prudentius scripsit Minuc. c. 35. „Christianus „ibi nullus, nisi aut reus suae religionis, aut profugus."

(2) Vid. L. V. 8. sqq. *Epit.* c. 59. sq. Ceterum quam laudabiliores vitâ suâ privatâ antiquissimi Christi sectatores aequalibus suis fierint, post alios ostendit Doct. Borsius, Diss. *de primorum hominum Christianorum vitâ privatâ* Lugd. 1815.

mente purâ et sincerâ ei consecrandâ esse colendum (1), et auctoritate splenderet ad hominum animos emendandos efficacissimâ (2). Sed ipsius auctoris verba describamus. „ Dei praecepta," inquit, „ quia et sim-
„ plicia et vera sunt, quantum valeant in animis ho-
„ minum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mi-
„ hi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus;
„ paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem
„ reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi
„ eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis ma-
„ nibus largientem. Da timidum doloris ac mortis;
„ jam cruces, et ignes et Phalaridis taurum con-
„ temnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam
„ sobrum, castum, continentem videbis. Da crudelem
„ et sanguinis appetentem; jam in veram clementiam
„ furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, pec-
„ catorem; continuo et aequus et prudens et inno-
„ cens erit."

(1) Vid. L. V. 5. sqq. 19. sq. al.
(2) L. III. 26.

PARS TERTIA.

DE DICTIONE, QUA LACTANTIUS IN INSTITUTIONIBUS DIVINIS USUS EST.

Ut *Institutionibus Divinis* Lactantii pretium suum statuatur, judicanda quoque est dictio, quâ his in libris usus est. Et nemo quidem ignorat, libros illos dictionis bonitate et elegantiâ magnam ab antiquo laudem adeptos esse, et ita quidem, ut auctor eorum Cicero appellaretur Christianus. Et sane linguae Latinae cognitionem habuit satis probabilem. Instructus fuit lectione aliorum scriptorum Romanorum, et inprimis Ciceronis. Haud vulgari pulchri et venusti sensu, qui ad eloquentiam quam maxime requiritur, gavisus est. His dotibus et virtutibus Apologetis antiquioribus adeo praecelluit, ut solus par esset operi conscribendo, quod cum libris philosophi modo dicti quodammodo comparari mereretur. Sed paulo enucleatius hac de re dicere oportet. Attamen brevitate uti me jubet, tum cura mihi imposita, ne haec disputatio jam satis longa in molem excrescat, tum insita mihi persuasio, exactum hujus rei judicium, si in aetatem juvenilem cadere possit, meâ certe mediocritate multo superius esse (1).

Schel-

(3) Magnum quoque nobis accidit incommodum. Diss. enim Krebsii, *de stilo* Lactantii, Hal. 1702. et Kortholti, *de* Cicerone *Christiano*, *sive eloquentiâ* Lactantii

Schellero duce (1) tria distinguimus, dictionis vel orationis *perspicuitatem*, *suavitatem*, *gravitatem*.

Dictionis *Perspicuitas*, ut monent Rhetorici, in *rebus* cernitur et *verbis*. De rebus Lactantius haud raro disputavit, quae a corporis sensibus remotae, et exteris gentibus inauditae erant. Unde factum est, ut vix aut ne vix quidem tam perspicua ejus esse posset oratio, ut ab omnibus omnino intelligeretur. Quod jam Cicero, *Timaeum* Platonis excitans, sine reprehensione fieri monet, ubi res obscuritate laborent (2). Certe qui rerum humanarum et divinarum scientiâ minus imbuti essent, vereor, ne mentem Lactantii non magis asseçuti sint, quam si barbare locutus esset. Sed cum ille non tantum ad viros eruditos, sed ad homines etiam indoctos, non tantum ad Christianos, sed et ad Judaeos et Romanos scriberet, ea, quae praevidebat fore, ut lectores fugerent, diligenter illustrare studuit (3). Quod ipsi tamen non ubique feliciter cessit. Quis enim aequalium ejus, ut hoc exemplo utar, vim perceperit orationis, quae Deum diceret, *procedentem de ore suo vocalem spiritum*, i. e. Christum, *in effigiem comprehendisse*, eumque *alios spiritus suos in angelos figurasse*, *qui taciti ex eo exirent*, *quia non ad doctrinam Dei tradendam*, *sed ad*

tii *Ciceronianâ*, Kil'. 1711. et frustra hiç quaesivimus, neque ex Germaniâ nobis acquirere potuimus. Uti et Walchii de eodem scriptore diatriben videre, nobis non contigit. Hac occasione autem monemus, nos sero demum praestantiam intellexisse editionis Lactantii, quam procuravit Lenglet du Fresnoy, Paris. 1748.

(1) *Praecepta stili bene Latini*, T. II.

(2) *De Fin.* II. 5.

(3) Vid. e. g. L. IV. 5, 7, 10.

ad ministerium crearentur (1)? Nec negandum est, auctorem haud raro propositi sui, ut hominum vulgo prodesset, immemorem scripsisse, quae ejus tantum doctrinam ostenderent, et a philosophis intelligi possent (2). Quid? quod ordinem, quo viâ et ratione procederet, plus semel negligens, lectoribus ipse pro luce caliginem offudit (3). Quamquam autem ei usitatum erat, rebus in disceptationem vocandis definitiones eorum adscribere, non semper tamen definitionibus satis plenis usus est, ut, ubi de Deo sic ratiocinatur: „Deus, „qui aeterna mens est, perfectae consummataeque vir„tutis est. Quod si verum est, unus sit, necesse „est. Potestas enim, vel virtus absoluta retinet suam „firmitatem. Id autem solidum existimandum est, cui „nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accede„re (4)." Quemadmodum autem in hoc loco, ejusque oratione contextâ, sic saepe alibi, rerum caussas et remotiores et propiores, nunc longius, nunc brevius enarravit, et argumenta, quae ipsi ceteris graviora esse videbantur, plus semel aliis verbis repetiit. Perspicuitati consuluit quoque exe plis, quod vellet, illustrando, et aliorum testimoniis confirmando. Quorum alterum tamen saepe ita fecit, ut exemplis quidem uteretur ad rem suam appositis, sed perperam ea explicaret, alterum, ut ex testimoniis plus minusve erueret, quam iis inesset. Quod, ne repetam, quae supra jam diximus, ex ejus disputatione de Christianorum perseverantiâ, in malis ferendis conspicuâ, satis luculenter apparet (5). Atque ex hac eadem disputatione in-

(1) L. IV. 8.
(2) Vid. e. g. L. VI. 5. sqq. VII. p. 900. sqq.
(3) Exemplum peti potest. e L. VII. 16. sqq.
(4) L. I. 3.
(5) L. V. 13. p. 687. sqq. al.

intelligetur fortuna auctoris satis prospera, ubi res gestas tamquam vividis coloribus describere et ante oculos ponere, earumque effectus et quae sibi adjuncta haberent, notare, nec non genera in species distribuere studeret (1). Comparationes quoque, sive simulitudines, quibus nihil est, quod res magis faciat perspicuas, orationi suae adspersit, ita tamen, ut nonnullis in locis nimiam ingenii luxuriam proderet. Sic e. c. astronomos aliorum ludibrio exponere volens, urbis numquam visae, et praeter nomen plane incognitae hanc proposuit similitudinem: „ Verosimile est (urbem) „ illam in plano sitam, lapideis moenibus, aedificiis „ sublimibus, viis pluribus, magnificis ornatisque de„ lubris. Describamus, si placet, mores habitumque „ civium. Sed quum haec dixerimus, alius contra „ disputabit; et quum hic quoque peroraverit, surget „ tertius, et alii deinceps; et opinabuntur multa dis„ paria, quam nos sumus opinati. Quid ergo erit „ ex omnibus verius? Fortasse nihil. — Stulti ergo „ sumus, si hoc disputatione quaeramus" (2). Ubi igitur temere sumsisse censendus est, ridendos esse esse illos homines qui et corpora coelestia numquam oculis lustrassent, et ad cognitionem non tantum formae motusque eorum, sed internae etiam eorum conditionis penetrare vellent.

Verba quod attinet, qui ad Romanos homines perspicue scribere velit, necesse est, ut bene latine scribendi studiosus sit. Quam laudem nemo facile dixerit Lactantium ubique locorum meritum esse. Vocabula nempe praeter necessitatem usitat, quae Ciceronis aetate plane incognita fuerunt, aut incognitam iis

(1) L. V. 13. p. 632. sq. c. 22. p. 695. sqq.
(2) L. III. 3.

lis notionem sine caussâ tribuit (1). Nonnunquam in leges peccavit Grammaticae et Syntaxeos. Ubi vero loca Litterarum Sacrarum excitat, alienam, eamque barbaram describit interpretationem. Vocibus praeterea et loquendi formulis haud raro usus est, quae in philosophorum scholis et poetarum carminibus magis tritae erant, quam in communi hominum vitâ (2). Sed ne Lactantius gravius culpetur, quam par est, animadvertatur, eum vixisse, cum jam antiqua dicendi elegantia magis magisque ex hominum sermone migraret, inque ejus locum substitueretur oratio fucata et depravata. Et sane, si hac temporum labe bene consideratâ, Lactantii libros cum antiquiorum Apologetarum libris comparaverimus, perspicuitatis laudem ei tribuere debebimus; quod praecipue illis apparet ex locis, ubi auctor hos tamquam duces suos, secutus esse deprehenditur (3). Quamvis enim censendum non est, Tertulliani, Arnobii aliorumque scripta haud magis suâ, quam nostrâ aetate intellecta fuisse, tantum tamen illa abfuerunt a perspicuitate, quantum a solis claritudine et splendore absunt

(1) Dicimus *praeter necessitatem* et *sine caussâ*. Nam quis, quaeso, reprehendat scriptorem, qui verbis novis utitur, vel novam iis notionem subjicit, quoniam sibi dicendum de rebus est antea incognitis, et nunc demum inventis? Cujus generis est, quod Lactantius L. IV. 6. p. 441. Christum *promogenitum* dixit Dei filium. Sed voce *ineloquibilis*, L. VII. 5. p. 881. auctor praeter necessitatem utitur, et *humilitatem animi* magnopere laudans L. V. 15. p. 648. alienam hinc voci notionem tribuit.

(2) Vid. e. c. L. I. 3. p. 17. II. 5. p. 200. IV. 25. p. 534.

(3) Vid. e. c. Lact L. V. 1. et Tert. *Apol.* c. 1. ceterum de obscuritate, quâ dictio patrum, qui dicuntur, laboret cf. Dallaeus, *de usu patrum*, c. V. p. 1.0. sqq.

sunt, crepusculi tenebrae. Lactantius vero in plerisque locis, et verbis utens bene latinis, et sententiis planis, et rectâ verborum et sententiarum structurâ, perspicuitate suâ se insigniter commendat. Cujus rei jam exemplum prima librorum ejus verba praebent luculentissimum: „ Magno, inquit, et excellenti inge-„ nio viri, quum se doctrinae penitus dedidissent „ quidquid laboris poterat impendi, contemtis omnibus „ et privatis et publicis actionibus, ad inquirendae ve-„ ritatis studium contulerunt; existimantes, multo es-„ se praeclarius, humanarum divinarumque rerum in-„ vestigare ac scire rationem, quam struendis opibus, „ aut cumulandis honoribus inhaerere."

Perspicuitatem autem Lactantii ad ejus *suavitatem* multum conferre, dicere non opus est. Et sane quotquot antiquitatis elegantiam in deliciis habebant, quis dubitet, quin magnopere auctoris delectati sint dictione, quam dictionis Ciceronis imitatricem esse viderent? Deinde lectoribus gratum fecit auctor modestiâ, quâ de se animique facultatibus, et libris suis loquebatur, et erga alios utebatur (1), velut philosophos, quorum scripta se magni facere declarabat. Fatendum tamen est, eum suavitatis immemorem fuisse, ubi summos antiquitatis viros acerbissimis petit conviciis, et in adversarios Christianorum acerrime invehitur, eos nunc criminum horrendorum postulans, nunc stultos et ridiculos esse clamans, cumque turpissimis adeo bestiis comparans (2). Quod equidem is non sum, qui excusari nolim in viro, cujus ante oculos recentissima adhuc obversata sint mala, quibus ple-

(1) L. II. 19. III. 1. al.

(2) Vid. L. V. 11. VI. 17. Plura exempla peti possunt ex iis, quae supra disputavimus P. I. C. I. et II.

plebejorum et patriciorum hominum atrocitas sectatores Christi affecisset. Neque tamen probari, multo minus laudari meretur, siquidem auctor partes tuebatur Jesu, qui sectatores suos, et voce suâ et exemplo, lenitatem et mansuetudinem docuerat. Praeterea non aliter fieri potuit, quin homines conviciis hisce audiendis et a Christi caussâ et a studio animos suos emendandi alieni redderentur. Atque hanc acerbitatem tanto gravius dolemus, quanto certius ceteroquin est, neminem has *Institutiones* legere posse, quin videat clarissime Lactantium hominem fuisse, non tantum religionis Christianae propagandae flagrantissimum, sed recti etiam et honesti amantissimum (1).

Suavitatem, quam sibi acquirit oratio verbis diligenter exquisitis et bene compositis, haud magni fecisse videtur Lactantius. Immo vero haud raro dicendi sectatus est insolentiam, quâ cupiditatem suam expleret Philosophos vel Polytheismi sectatores ridendi. Neque omnino suaves sunt joci ejus, quorum usu si vel gratum fecerit sociis suis, adversariorum animos sine dubio exacerbavit. Ut, cum se opposuit iis, qui antipodas esse putabant, hos ingenii acuendi vel ostentandi caussâ, aut jocari dicens, aut mentiri (2). Similiter philosophum quemdam risit Stoicum, deliberantem, num solem faceret ornatum incolis, vel ut verbis ejus utar, *num soli populos suos daret*. „Inepte scilicet," inquit, „qui debitaverit. Quid enim perderet, si dedisset, sed, credo, calor deterrebat, ne „tantam multitudinem periculo committeret, ne si ae„stu

(1) Cf. Rau l. c. p. 6. sqq. qui, etsi forte praeter rem desquisitonem de eo instituit, num Lactantius *voluntatem suam in melius converterit*, jure tamen suo eum virtutis studiosum fuisse contendit.

(2) L. III. 24.

„ stu nimio periissent, ipsius culpâ evenisse tanta ca-
„ lamitas diceretur (1)." Multo magis vero suavitati obstant nudae illae, quibus utitur rerum turpissimarum descriptiones; sicuti eorum, quae de Vulcano, Priapo et Lacedaemoniis veteres tradiderunt, et quae cujusvis honesti aures laedunt et offendunt (2). Sed hac de re monendum *primum* est, in mythologiâ et historiâ veterum tantum fuisse turpitudinis, ut qui de iis disputaret, se a verbis obscoenis vix cohibere posset. *Deinde*, ita se habuisse eorum temporum rationem, ut, quae nobis nostrisque aequalibus ruborem eliciant, fronte saepe perfricatâ et dicerentur et audirentur (3). Quod utrumque exemplum probat Juvenalis, viri honestatis studiosissimi, sed in rerum impudicarum descriptione frequentissimi. *Tertio* ad excusationem Lactantii addendum est, hunc multis in locis laudabilem navasse operam, ut lectorum suorum parceret pudori, turpia aut leviter tantum attingendo, aut circumlocutione mitigando (4). Jocos quod attinet, haud raro illi tales sunt, ut observatis verecundiae legibus, voluptatem lectoribus afferant. Ut Martem homicidam, ne nimis ferus videretur et immanis, adulterium commisisse cum Venere, Jovem cum ceteris Diis ante currum Cupidinis triumphantis catenatum fuisse (5). Scripta sua excitandis, quae apud veteres

re-

(1) L. III. 23.

(2) L. I. 17, 20, 21.

(3) Ad hanc temporum diversitatem nescio an mentem minus attenderit Barbeyr. l. c. c. 5. p. 56. c. 8. p. 112. c. 15. p. 267.

(4) Huc referimus verba Lactantii, L. V. 9. p. 614.
„ qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas
„ omne polluant, atque profanent."

(5) I. 10, 11.

reperiebantur, et a multis in deliciis habebantur, ornavit. Vivido dicendi genere usus est et animato. Sales et Veneres, figurarum etiam usu, orationi suae indidit. Neque sermonis elegantia in ea desideratur, ubi auctor, quod ceterum improbandum est, sui temporis more Litteris Sacris interpretationes subjicit Allegoricas. Cujus rei exemplum in medium proponere placet: „ jacentia", dicit de Christo, „ mortuorum „ corpora erexit, eosque nominibus suis inclamatos a „ morte revocavit. Quid congruentius Deo? quid mi„ raculo dignius omnium seculorum, quam decursam „ vitam resignasse, completisque hominum temporibus „ tempora adjecisse, arcana mortis revelasse? Sed „ haec inenarrabilis potestas imago vitutis majoris „ fuit; quae demonstrabat, tantam vim habituram esse „ doctrinam suam, ut gentes in orbe toto, quae alie„ nae a Deo, subjectae morti fuerunt, cognitione veri „ luminis animatae, ad immortalitis praemia perveni„ rent. Eos enim recte mortuos existimaveris, qui „ datorem vitae Deum nescientes, atque animas suas „ a coelo in terram deprimentes, in laqueos aeternae „ mortis incurrunt." (1)

Pauca denique de dicendi *gravitate* monenda sunt. Haec autem cum iisdem saepe insit locis, ubi perspicuitas regnat et suavitas, hic in memoriam revocentur, quae supra monuimus, repetere vero nolumus. Nunc animadvertendum est, Lactantium ubique fere lectoribus inculcare voluisse, rem, quam defendendam susceperat, esse gravissimam, et cum verâ hominum salute conjunctissimam. Quod uti vidimus supra, de argumento librorum ejus disputantes, ita hic uno alterove loco describendo, ostendamus, quomodo illud fe-

(1) L. IV. 26.

fecerit. Dicit igitur: „ Pater noster ac dominus, qui
„ condidit, firmavitque coelum, qui solem cum cete-
„ ris sideribus induxit, qui libratam magnitudine suâ
„ terram vallavit montibus, mari circumdedit, amni-
„ busque distinxit, et, quidquid est in hoc opere
„ mundi, conflavit ac perfecit e nihilo, perspectis er-
„ roribus hominum, ducem misit, qui nobis justitiae
„ viam panderet. — Deseratur, (si fieri potest) via
„ perditionis et fraudis, in quâ mors voluptatis ille-
„ cebris adoperta celatur. Et quanto quisque, annis in
„ senectutem vergentibus, adpropinquare cernit illum
„ diem, quo sit ei ex hac vitâ demigrandum, cogitet,
„ quam purus abscedat, quam innocens ad judicem ve-
„ niat." (1) Sic et alio loco: „ Una spes homini,
„ una salus in hac doctrinâ, quam defendimus posi-
„ ta est: omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut
„ Deum cognoscat et colat. Hoc nostrum dogma,
„ haec sententia est. Quantâ itaque voce possum,
„ testificor, proclamo, denuntio: Hic, hic est illud,
„ quod philosophi omnes in totâ suâ vitâ quaesierunt,
„ nec umquam tamen investigare, comprehendere, te-
„ nere valuerunt, quia religionem aut pravam retinue-
„ runt, aut totam penitus sustulerunt. — — Qui vult
„ sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat
„ justitiam, sacramentum nativitatis suae norit, hu-
„ mana contemnat, divina suscipiat, ut summum il-
„ lud bonum, ad quod natus est, possit adipisci." (2)
Porro gravitatem orationi inferunt frequentes aucto-
ris admonitiones, se ad argumenta dicendi graviora
procedere. Uti et interrogationes et exclamationes, quas
in re gravi crebro effundit. Sic lectores interrogat,
superstitionis adhuc tenaces; „ quae igitur amentia est,

„ aut

(1) L. VII. 27.
(2) L. III. 30.

„ aut ea fingere, quae ipsi postmodum timeant, aut
„ timere, quae finxerant? Non ipsa, inquiunt, time-
„ mus, sed eos, ad quorum imaginem ficta, et quo-
„ rum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo time-
„ tis, quod eos esse in caelo arbitramini, neque enim
„ si Dii sunt aliter fieri potest. Cur igitur oculos in
„ caelum non tollitis? et advocatis nominibus eorum,
„ in aperto sacrificia celebratis? cur ad parietes, et
„ ligna, et lapides potissimum, quam illo spectatis,
„ ubi eos esse creditis? quid sibi templa, quid arae
„ volunt? quid denique ipsa simulacra, quae aut mor-
„ tuorum, aut absentium monumenta sunt (1)?"

Ironiâ quoque opportune usurpandâ saepe graviter dixit, quemadmodum, ubi dicit, Romanos homines recens ex se natos interficere, aut, si nimium pii fuerint, exponere (2). Sed diffiteri nolumus, nonnumquam minus opportune ironiam ab eo introductam esse. Deinde concedendum est, eum sat multis in locis ita scripsisse, ut vel jocando sibi placeret, ubi seria serie tractanda essent, vel de rebus disputans magni ponderis, verbis uteretur, quae argumentationi suae frigus et languorem inferrent. Sed quominus vel sic quidem omni gravitate careret oratio, cohibuit insidens hujus viri animo conscientia, caussam se tueri bonam, et justam, et a Deo sibi commissam. Breviter dicit: „ Nos tantummodo laboremus, ut ab hominibus nihil „ aliud in nobis, nisi sola justitia puniatur. Demus „ operam totis viribus, ut mereamur a Deo simul et „ ultionem passionis et praemium (3)." Profecto hic quoque valet, quod in proverbio est, pectus esse, quod disertum faciat. Pectus magnis illis rebus, quae Chri-

(1) L. II. 2.
(2) L. V. 9. p. 613.
(3) L. V. 23.

Christi doctrinâ continentur, plenum et commotum, orationi Lactantii tanquam vires et nervos indidit, ipsumque auctorem ad graviter dicendam excitavit. Disputationi nostrae finem imponere lubet, describendo loco, unde hoc luculenter appareat. Scripsit igitur Lactantius: „ quid ego hic in tanto facinore deplorem? „ aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non „ enim *Gavianam* crucem describimus, quam M. Tul- „ lius universae eloquentiae suae nervis ac viribus, ve- „ lut effusis totius ingenii fontibus, prosecutus est, „ facinus indignum esse proclamans, civem Romanum „ contra omnes leges in cruce esse sublatum. Qui, „ quamvis innocens fuerit, et illo supplicio indignus, „ mortalis tamen, et ab homine scelesto, qui justi- „ tiam ignoraret affectus est. Quid de hujus crucis „ indignitate dicemus, in quâ Deus a cultoribus Dei „ suspensus est, atque suffixus? Quis tam facundus, „ et tantâ rerum verborumque copiâ instructus exi- „ stet? Quae oratio tantae adfluentiae ubertate decur- „ rens, ut illam crucem merito deploret, quam mun- „ dus ipse, et mundi tota elementa luxerunt? (1)

(1) L. IV. 18.

TANTUM.

SCRIP-

SCRIPTIONIS CONSPECTUS.

Gram-

Grammaticae multo studiosior fuit, quam Allegoricae interpretationis, p. 27.

Scripta Sectatorum Christi auctor in usum suum convertens laude quam vituperatione dignior est, p. 34.

Libris exterorum hominum auctor diligenter ita usus est, ut ex iis mutuaretur, quae de philosopiâ antiquâ, aliisque rebus scriberet, et quibus argumentationi suae vim adjiceret, adeoque non tantum libros suos aequalibus suis commendavit, sed etiam plura iis indidit, unde nostro quoque tempore multum emolumenti accipitur, p. 36.

PARS ALTERA. De *Institutionum Divinarum* Lactantii argumento.

Cap. I. De disputatione Lactantii ad exteras religiones evertendas.

Pravas exterorum hominum de Diis suis sententias auctor refutavit, et probando, unum esse Deum, et commonstrando, Deorum nomine indignos esse, qui ita tum ab aliis populis, tum a Romano, nec non a Philosophis dicerentur, p. 44.

Rituum Sacrorum ad Deorum venerationem pertinentium Lactantius notavit horrendam immanitatem, insulsitatem et turpitudinem, inutilitatem denique et vanitatem, p. 52.

Porro auctor disputavit, *tantum abesse, ut religiones veterum ad emendandos homines ullam vim habeant, ut vitia et scelera varii generis pepererint et parere pergant*, p. 53.

Argumenta denique impugnavit, quibus multi exteras religiones tueri conabantur, p 55.

THE-

THESES.

I.

Uti perquam verisimile est, poëtam *Psalmo* VIII. ante oculos habuisse, quae de mundo condito in libro *Geneseos* nobis narrantur; sic vs. 6. appellatione אֱלֹהִים easdem denotasse videtur naturas, quas Deus ibid. C. I. 26. allocutus esse traditur.

II.

Admodum probabile esse putaverim, quod conjecit Clar. Hengelius in *Annot. in loca nonnulla N. T.* p. 78. sqq. editionem N. T. vulgarem, *Joa.* XIX. 36, 37. sic corrigendam esse: Ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ· καὶ πάλιν ἑτέρα γραφή, ἣ λέγει· ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

III.

Non dubitamus, quin verba Pauli 1 *Cor.* XI: 10. διὰ τοὺς ἀγγέλους *de geniis coelestibus* accipienda sint.

IV.

Carmina *Sibyllarum*, quae hodie feruntur, quamquam minus recte a Semlero Tertulliano tributa sunt, piae tamen, quam dixerunt, sed revera impiae antiquorum Christi sectatorum fraudi debentur.

V.

Arnobii scripta lutulentâ quidem et barbarâ laborant oratione; sed rerum tamen bonarum copiâ et ubertate sese nobis commendant.

VI.

Etiamsi fatendum est, credulitatem hominum sibi finxisse miracula, quae Lactantius ejusque aequales suo tempore edita esse scripserunt; fides tamen miraculorum Christi, et Apostolorum ejus labefactari nequit.

VII.

Quamquam Israëlitae veteres, quae de sanctuario, de summo sacerdote, de agno paschali divinitus inter Hebraeos instituta erant, pro rerum Christianarum exemplaribus habuisse censendi non sint; Deum tamen, per Mosen aliosque vates, apud hunc populum leges sancivisse contendimus, quae, misso semel hanc in terram Christo, ejusque doctrinâ hominibus patefactâ, multum collatura essent ad religionem, ipsius nomine dictam, Judaeis commendandam.

VIII.

Rectissime summus Melanchthon, *Hypotypos. Theol.*

Theol. p. 19. edit. Lips. 1821: „ Peccatum originale „ est nativa propensio, et quidam genialis impetus et „ energia, quâ ad peccatum trahimur, propagata ab „ Adam in omnem posteritatem."

IX.

Utrum mens nostra materia sit concreta, an ab ea disjuncta, difficillima quaestio est. Sed plurima sunt argumenta, quae certo nobis persuadeant, eam immortalem esse.

X.

Quamvis non omnino probanda sunt, quae Kantius de officiis hominum philosophatus est; multum tamen hujus viri placita attulerunt, ad illustranda nonnulla Theologiae, quam dicunt, moralis capita.

XI.

Philosophia Schellingii ejusque sectatorum, ut nulla habet argumenta, quorum pondere nitatur, sic *Mysticismum* inter homines inducit, qui pietati et virtuti multo magis nocet, quam prodest.

XII.

Graviter dolendum est, Protestantes in varias familias se divisisse. Sed conatibus nonnullorum hominum, eos in unam eandemque familiam conjungendi, nondum favere tempora, recte monuisse videtur Broesius, vir summe vener. in libro, cui titulus: *Over de vereeniging der Protestanten in de Nederlanden.*

XIII.

Ecclesiae Romanae placita cum mente Jesu et Apostolorum convenire, non facile dixerit prudens et a rerum studio alienus Litterarum Sacrarum interpres. Sed fatendum est, *Missionarios*, qui dicuntur, hujus Ecclesiae, apud gentes, Polytheismo adhuc deditas, ad nomen Christianum propagandum plerumque multo prosperiore uti successu, quam qui ex Protestantium familiis ad eas emittantur.

XIV.

Homiliae, quas appellant, in praestantissimo, sed difficillimo orationum sacrarum genere habendae sunt.

AAN MIJNEN

VRIEND

H. J. SPYKER.

De aarde laat nog bloemen garen,
  Bloemen rijk in gloed en kleur,
Maar wat zijn haar gouden blaren?
  Wat haar zoete Nectargeur?
Als zij eenig en verborgen,
Schoon gekweekt met al de zorgen
  Van den trouwsten Hovenier,
Eenzaam kiemen, eenzaam bloeijen,
En geene andere oogen boeijen,
  Door haar schoone Lentezwier.

Hooger kleuren zich de knopjes,
  Zoeter ademt de amberlucht,
Blanker paarlen de uchtenddropjes,
  Zachter zwiert de vlindervlugt,
Als op de aâm van Lentewieken
Bij het blozend morgenkrieken
  Vriendschap door den bloemhof zweeft,
Eer de storm den knop ontbladert,
Enkele kleine lovers gadert,
  En den vriend een tuiltje weeft.

Pijlsnel schoot de stroom der jaren,
Vaak door rotsige oevers voort,
Om zich met een zee te paren,
Door geen strand of grens omboord:
'k Mogt bij 't rustloos voorwaarts schieten
Menig zoeten stond genieten;
Ach! te spoedig vlood die heen.
Niets dan 't schemerend herdenken
Blijft ons; nieuwe beelden wenken,
Ras met de andren weggegleên.

Maar bij al die nevelvormen,
Die 't verleden toovrend biedt,
Met geen tijdvlugt weg te stormen
Kwijnt het beeld der vriendschap niet;
Troostend gloeit haar glans ons tegen,
Even als bij najaarsregen,
Iris boog de wolken tooit;
Blijft in 's levens duisterheden,
Lachend ons op zijde treden,
Schoon de winter 't lijkkleed plooit.

Zij bezielt mij, waar zich 't heden
Zoo verrukkend aan mij toont,
't Sluit zich lachend aan 't verleden;
'k Zie, mijn vriend! uw vlijt gekroond.
Schoon verrijst de blijde morgen,
Waar, na menig uur van zorgen,
U het zegeloof omkranst.
Zou 'k u nu geen feesttoon zingen,
Als op d' oogst der Bemelingen
Zulk een heldre morgen glanst.

Neen

Neen, de groenende eerlaurieren
Smaden 't veldviooltje niet,
't Mag vrij in die kransen zwieren;
Als de hand eens vriends het biedt,
Als zij 't biedt, waar 't uur van scheiden
Scheemring bij het licht komt spreiden,
Dat den blijden feestdag kleurt.
Neem het, hoe gering van waarde!
Wat ooit 's winters aâm ontblaarde,
Nimmer zij het afgescheurd!

Nu, met moed den weg betreden!
Heerlijk lacht u de aanvang aan:
Troostvol schittren voor uw schreden,
's Hemels starren uit hun baan;
Volg hun flikkring, als het Noorden
Uit zijn onherbergzame oorden
Stormen roept en hageljagt.
Neen, geen toefplaats zult gij derven,
Waar verkwikking, na het zwerven,
Op den moeden pelgrim wacht.

Rooft de herfstwind knop en lover,
Plondrend 's levens bloemengaard,
Steeds een bloempje blijft u over,
Voor des dwinglands vuist bewaard.
't Is zoo zacht en schoon van verven,
Maar geen sneeuwbui doet het sterven,
Eeuw'ge Lente gloort er in,
Frissche kransen kan het strenglen,
Paradijsroos heeten 't Englen,
De aarde 't bloempje van de min.

Eeuwig moog het voor u bloeijen,
In uw lauwerkroon gehecht,
Tot bij 't kwijnend avondgloeijen,
Zich 't cypressenlover vlecht!
Laat dat dorrend eerloof wijken!
Schooner palmen ziet gij prijken,
In het nevelig verschiet.
Rijker bloemen schenke u 't leven!
Niets meer kan ik u hier geven,
Dan een klein vergeet mij niet.

D. VAN HEYST

Leyden,
15 Junij 1826.

AAN MIJNEN

VRIEND

H. J. SPYKER.

Een frissche lauwer in de haren,
Terwijl de liefde U wenkt met mirt- en rozenkrans;
Een rijpgezwollen oogst in pas volbloeide jaren;
Een toekomst vol van hoop, waarop wij juichend staren;
Dit, Vriend, behoort U thans!

Heil U! De dag treedt lagchend nader,
Bij wiens vooruitzigt reeds het hart U beeft van vreugd.
Ras roert gij ziel en zin tot aller schepslen Vader
Ras schetst gij Gods genade, en die zijns Zoons te gader,
En 't eeuwig heil der deugd.

O! aan dat God'lijk doel te werken,
En, zalig door de min, naauw cijnsbaar meer aan 't lot,
Uw Broeders in 't geloof op de Eeuwigheid te sterken;
De ontwikk'ling van hun ziel in Christendeugd te merken:
Dit, Vriend, dit schenke U God!

Zie daar het schoonst taf'reel van 't leven,
En 't ideaal van 't heil, dat de aard den sterv'ling schenkt.
't Is nedrig als de cel, door 't stil gehucht omgeven,
't Is kalm gelijk de beek, die murmelt door de dreven,
En weide en akkers drenkt,

't Is rein gelijk de zonnespranken;
't Is heilig als het vuur der godgewijde min;
't Is hartverheffend als 't gebruisch der orgelklanken,
Wier roerend maatgeluid de ziel, bij 't gloeijend danken,
Doorstroomt van Hemelzin.

Uw geest mogt in den voortijd dalen,
En keerde met het beeld eens tolks der waarheid weêr:
Ras zien wij 't eigen beeld in zuivrer trekken stralen,
Als de Echo van 't gewelf uw danktoon zal herhalen,
Die opklimt tot den Heer.

Hij, wien dit beeld verrukte en boeide
Is vast welsprekend, en reeds dichter, eer hij zong
't Is hem, of reeds op aard de volle heilstroom vloeide,
Of 't heilig Pinkstervuur hem op het voorhoofd gloeide,
En 't brandend hart doordrong.

Na

Na 't wisslen der vervlogen tijden,
Werpt de aard den blinddoek weg, dien 't bijgeloof haar gaf;
De nagalm van het lied, dat de aard riep tot verblijden,
Rolt reeds de wereld door, ruischt aan van alle zijden
En breekt haar doodslaap af.

Vaar wel! Ons scheidt geen afstand langer,
Wat ons vereent, wordt eens de juichtoon van 't heelal.
Al spookt verblinding weêr, al wordt weêr 't uitzigt banger;
De worsteling des tijds gaat van één Hymne zwanger,
Die de aard doorwalmen zal.

Amsterdam den 15 Junij,
1826.

B. TER HAAR.

ERRATA.

p. 2. l. 25. l. c. 6. *leg.* l. c.
— l. 26. a J. J. Rau *leg.* J. J. Rau
p. 7. l. 27. Aligerii *leg.* Aligerii;
— l. 34. tantum quae *leg.* quae
p. 9. l. 28. 225. *leg.* 225²·
p. 30. l. 27. 476. *leg.* 467.
p. 32. l. 14. cernantur, *leg.* cernantur
p. 34. l. 28. 19. *leg.* 589.
p. 35. l. 32. 75. *leg.* 275.
p. 38. l. 29. profesus est, et, tete *leg.* professus est, et, teste
p. 40. l. 6. recondetur *leg.* recordetur
p. 55. l. 18. dubiis *leg.* dubio
p. 57. l. 22. quam *leg.* quem
p. 72. l. 28. transfluit *leg.* transfluit
— l. 33. patrem vero *leg.* patrem, patrem vero
p. 87. l. 12. pervertantur *leg.* pervertuntur
p. 88. l. 19. Religionis Christianae *leg.* Religionis Christianae expositionem
p. 90. l. 34. *Oboapaei*, *leg.* Opsopaei,
p. 93. l. 7. indexisse, *leg.* iuduxisse,
p. 95. l. 15. o ffiiis *leg.* officiis
p. 99. l. 23. aestimandâ doctrinâ *leg.* aestimandâ Christi doctrinâ
p. 101. l. 31. 1 *Sam.* III. *leg.* 1 *Sam.* II.
p. 106. l. 5. cirtiter *leg.* circiter
p. 109. l. 18. reipnblicae *leg.* reipublicae Judaicae
p. 111. l. 15. *eujs leg. ejus*
p. 113. l. 24. perseverantium *leg.* perseverantiam
p. 114. l. 20. sermore *leg.* sermone.
p. 118. l. 21. exe plis *leg.* exemplis.

YB 21917

500504
BR65
L34S6

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

